XXIX.

DISSERTATIO DE PRÆCEDENTIA LIBERARUM CIVITATUM S. R. IMPERII, PRÆ. NOBILITATE IMMEDIATA,

Pro Licentia defensa à

JOHANNE LUDOVICO WINCKLERO Hamburgensi.

ARGENTORATI, 1720.

PROOEMIUM.

Cum inter Civitates Imperiales & Nobiles Immediatos jam dudum lis gravis de Præcedentia sit exorta, inque hac contentione de gradu dignitatis utraque pars suos defensores & oppugnatores invenerit; operæ pretium me facturum existimavi, si hoc argumentum Dissertationis Inauguralis loco examini Eruditorum submitterem. Multa quidem extant Scripta Doctissimorum ICtorum, qui hanc Præcedentiæ materiam in genere tractarunt, quorum Catalogum Vir Celeberrimus Jacobus Gothofredus in Diatriba sua de Jure Præcedentiæ Protheoriæ n. 1. *exhibet; aut interdum ad singulares facti species Consilia sua accommodarunt; interim tamen neminem scio, qui in hoc argumento ex professo Civitatibus suum Calamum dicaverit, omnesque insuper, qui hanc Proedrias materiam attigerunt, ita sunt commentati, ut multum reliquerint alienæ industriæ. Cum vero plures libri in gratiam Nobilitatis Immediatæ vel ab ipsius Equestris Ordinis Consortibus*

bus, vel ab aliis Viris eruditissimis, sint conscripti; placuit mihi, pro Civitatibus, proque Patria mea, aliquid quoque experiri, taliaque afferre argumenta, quæ in decisione tam arduæ controversiæ maxime apta, & in hujusmodi dissidiis in Conventibus publicis communiter recepta inveniuntur. Ita vero hac in re sum versaturus, ut Prima Parte hujus Dissertationis in genere argumenta examinem, ex quibus potissimum præferentia vel prærogativa in sedendo, eundo, & præcedendo alicui competere potest, ubi, considerata necessitate atque utilitate hujus juris, occasio dabitur, vera atque genuina fundamenta à falsis discernendi. In altera Parte applicationem allatorum argumentorum ad Civitates Imperiales & Nobiles Immediatos faciens, tentabo, comparatis iis, quæ utrisque sunt communia, refutatisque, quantum in me erit, rationibus Hippolyti von Tryßpach/ *ostendere, quod Civitatibus præ Nobilibus debeatur Præcedentia. Uti vero nemini jus suum detractum volo, ita, si quid a me erratum, illud materiæ, circa quam versor, difficultati prolixitatique adscribas; velim.*

PARS PRIMA.

SECTIO I.

IN QUA EX ARGUMENTIS INDUBITATIS NECESSITAS ET UTILITAS JURIS DE PRÆCEDENTIA DEFENDITUR.

SI ulla Juris Publici Materia necessaria atque utilis est, hæcce sane erit, quæ vero eo cautius tractanda, quo certius Magnatibus, ut *Arum. c. 7. de Comitiis* dicit, innatum scimus, circa honoris sui prærogativas scrupulose admodum versari, nec ullius rei solere gravius, quam ejusdem, imminutionem ferre. Sunt quidem nonnulli, qui hanc materiam parvi momenti æstimant, quos videre licet apud *Gothofr. p. 8.* & apud *Arumæum in c. 7. de Comitiis n. 99.* imo, hanc Contentionem Christiano indignam esse censent, urgentes dictum Salvatoris nostri: Qui se exaltat, humiliabitur, &, qui se humiliat, exaltabitur *Luc. 14. v. 18.* Sed, uti ex hoc dicto

cto illud evincitur, quod ii, qui ambitu, fastu & cupiditate gloriæ de ordinis prælatione contendunt, jure damnandi sint, quippe qui comparandi videntur Pharisæis illis, qui primos ambitus in cœnis, primasque sessiones in Cathedris nimis ambitiose amant; ita minime exinde sequitur, honoris & loci debiti rationem non esse habendam. Laudandi potius illi veniunt, qui ordinem & locum, quem DEUS ejusque ministri, qui in terris ejus locum obtinent, ipsis attribuerunt, omni ratione tuendum quærunt; quod assertum tanquam Jure Divino, Naturali, Civili & Canonico fundatum, atque apud omnes fere gentes religiose observatum paucis jam ostendere lubet.

De *Jure Divino* exempla Angelorum atque Archangelorum id probatum nobis dant, quippe qui non sunt æquales, sed in ordine alter ab altero differt. Probant hocce porro dicta clarissima S. Scripturæ, in quibus DEUS mandat honorem tribui Regibus, Magistratibus, Parentibus, Senioribus, ac demum ipsum timentibus.

Cum itaque ex hoc præcepto appareat, honoris exhibitionem atque ordinem DEO acceptum atque gratum esse, illi injustum nihil faciunt, qui a DEO ordinata & recte stabilita conservare student. Concordat cum hac lege DEI ipsa *Natura* humana, & ex suis principiis educit, illos honore esse afficiendos, quibus DEUS characterem quendam impressum esse voluit. Hinc illa ipsa Natura, & inde deductum Jus, ut verbis *Limnæi Jur. Publ. T. II. L. 4. c. 9. n. 41.* utar, dignitatis notam posuit, dum hominem cæteris animantibus excellentiorem dedit, & inter eosdem masculum fœminæ prælatum voluit, patrem liberis, dominum servis, magistratum subditis. Huc quadrat id, quod Imperator Justinianus *Nov. 5. c. 9.* dicit, *Humana natura talis est, quod neque omnes per ordinem inter summos, neque rursus omnes inter novissimos constituti sint sed procedat quidem secundum gradum præcedentis inspectio.* Facile & exinde hæc veritas poterit asseri, quia innititur immoto illi & perpetuo Juris Naturæ fundamento: Suum cuique esse tribuendum. Inter ea vero, quæ naturâ hominis sunt, uti incomparabilis *Grotius de Jure B. & P. L. 2. c. 17. n. 2.* ostendit, præter vitam recte numeranda venit fama atque honor. Exi-

git vero natura justitiæ, ut non uno omnes habeantur loco & ordine, sed mali pœnis, bene meriti præmiis & honoribus afficiantur, & hac in re fere tota occupata est Justitia illa, quam Dd. distributivam appellare solent, ne injusta dimensio ac distributio præmiorum fiat. Hinc apparet, illos non culpandos, sed maxime laudandos esse, qui pro status dignitate conservanda pugnant, cum hæc status Prærogativa unum ex præcipuis sit objectis, circa quæ Justitia distributiva versari solet, ut proinde ordinis observatio, justitiæ conservatio sit appellanda, inobedientia vero justitiæ eversio sit.

Jura quoque *Pontificia*, ordinum & præcedentiæ dignitatem omnino observandam esse statuunt. Pertinet huc *cap. Solitæ X de Major. & obed. Cap. ut debitus X. de appellatione Cap. ex ore X. de privilegiis Cap. Clerici de Judiciis.* Referendus hic venit *c. ult. 89. dist.* ubi dicitur, ordinem concordiam alere atque fovere, & refert *glossa in l. decernimus C. de Sacros. Eccles.* quod recte de Præcedentia contendere liceat.

Jura Civilia & Principum Constitutiones non minus tuentur hanc Præcedentiam; habemus integrum titulum *C. ut dignitatum ordo servetur*; nota est regula *l. 1. ff. de albo scribendo: Digniores cæteris esse præferendos*; hinc *lex Papia* de ordine rogandarum sententiarum, hinc *Novella Valentiniani III.* de honoratis & quis in gradu præferatur, imo totus *liber sextus C. Theodos.* in hoc argumento est occupatus, & *lex ult. C.* de Primicer. expresse dicit, *quod non liceat per ambitionem vel gratiam aut cujuslibet occasionis obtentu publicorum graduum seriem conturbare.* Prætereo jam innumeros alios textus, in quibus passim cautum est, ut dignitatum atque honorum ordo sartus tectusque esse debeat. Hinc ille, qui locum & sessionem sibi jure competentem tuetur atque defendit, extra superbiæ crimen est; nec enim secundum regulam illam Juris videtur vim aut injuriam cuipiam facere, qui jure suo utitur. Adsunt in eum finem legitima remedia tam pro recuperanda, quam retinenda, præcedentia, de quibus prolixe egit *Crusius L. 1. cap. 9.* de Præcedentia. Et *Gothofredus in Protheoria sua th. 4.* dicit hoc Jus Proedrias & extra judicium inculpatæ tutelæ moderamine, & in judicio actione injuriarum vel interdicto s. remedio possessorio

ſorio vindicari poſſe. Quin & Ddres noſtri tradunt, defendi ordinis prærogativam poſſe armata manu, *Pancirollus Conſ. 6. n. 2.* &, qui ea occaſione turbantem occidit, pœna ordinaria non plectendum eſſe, tradit *Riccius deciſ. Eccleſ. 584.*

Quod denique ad conſenſum *moratiorum gentium* attinet, facile probari poterit, gentes uno ore illos, qui bene meritis, potentia ac dignitate alios ſuperant, præ aliis eximio quoque cultu afficere ſolere. Pertinet huc dictum Ciceronis l. 1. offic. *Eos Viros nos ſuſpicimus, maximisque efferimus laudibus, in quibus exiſtimamus nos exellentes quasdam & ſingulares virtutes perſpicere, & admiratione quadam afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur.* Apud Hebræos, quos peculiariter DEUS juribus ſuis dignatus eſt, ex pluribus S. Scripturæ locis apparet, hoc jus Proedrias in uſu fuiſſe, & conſtat, Reges ſemper honoratiorem in conſeſſu locum occupaſſe, magnamque ſemper ſeniorum rationem habitam fuiſſe. Sic Græci & Romani quoque Viris egregiis & de Republ. bene meritis, ob res bello præclare geſtas vel ætatem præcedentiam conceſſiſſe paſſim leguntur. Et quis de cæteris gentibus dubitare vellet, cum humilis & abjecti animi ſit, jacturam honoris non æſtimare, Reipublicæque interſit, ut ſua cuique dignitas honor & præeminentia ſervetur. Non opus eſt, multum tempus terere in allegandis exemplis ac ſpeciminibus controverſiarum de Præcedentia ortarum; cum ex hiſtoricis edoceamur, quam acerrime non ſolum jam inter Imperatores Orientales & Occidentales & inter Reges uniuscujusque fere Regni de honoratiori loco fuerit certatum, ſed & facile ex lectione appareat, hanc de præcedentia quæſtionem totas gentes & Nationes occupaſſe, adeo, ut populus populo, Provincia Provinciæ, Civitas Civitati, ordo ordini præferri anhelaverit. Hinc, cum tanti ponderis ſit Præcedentiæ prærogativa, videmus quoque, Legatos pro Regum & Principum ſuorum ſeſſione tanquam pro aris & focis certare; cum enim imaginem ac vicem Principum, a quibus mittuntur, referant, omnem operam impendere debent, ne Dominis ſuis præjudicium afferant. Pertinet huc, quod *Decianus conſ. 21. n. 10.* de Magiſtratibus, & de omnibus,

qui publicum officium gerunt, dicit: Prælationes & ea, quæ pertinent ad dignitates, Juris publici esse, sicut sunt Magistratus, & propterea Magistratum gerens non potest suo facto illius statum & ordinem immutare; hinc Doctores omnes affirmant, Legatum cogi ex officio, una cum dignitate sua Majestatem publicam hac parte vindicare.

Quod si ad ipsos Germaniæ Principes atque Status Imperii nostri veniamus; quotidiana nos docet experientia, eos quidvis potius quam injurias perferre solere, existimantes, quod nullibi magis celsitas & magnitudo animi, quam in conservatione honoris, exerceatur, & ex *Actis Comitiorum* liquet, plerosque ex Ecclesiasticis, omnes fere Seculares Principes in terminis Sessionis controversæ versari.

A publica denique utilitate non leve poterit desumi argumentum ad defendendam Præcedentiam; bene enim *Aristotiles l. 2. de Republ.* dicit, in qua Civitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus Civitatis status stabilis & firmus nullo modo esse potest. Et certe nihil in rerum natura stabile invenitur, quod non ordine colligatum, nihilque pulchrum, quod non eodem constructum est. Hinc *can. ult. dist. 89.* dicit: *sunt ordines & dignitatum gradus favore publico, introducti, ut, dum minor majori præferri non tentat, sed quilibet servat suum gradum, societas humana in pace & concordia conservetur.* Ex quo textu hæc sequela exsurgit, quod illi, qui de ordinis observantia contendunt: eamque tuentur, Rempubl. quantum in ipsis est, defendant, qui vero ordinem turbant, Rempubl. ipsam turbent. Magistratus propterea quoque de justa præcedentia solliciti esse debent, si quis alterius ordinem turbare velit, cum in ea re tum Reipublicæ dignitas tum salus versetur, & ut *Freinshemius de Prærog. Elect. & Card. Diatrib. 2. n. 34.* dicit, homines a contemtu facile ad injurias progrediantur, &, quos vilipendere cœperunt, etiam oppugnare audeant.

Cum itaque hæc omnia tam bene sit fundata, ipsiusque Reip. interfit, ut sua cuique dignitas atque honor conservetur, illi injuriis in se, in suam familiam & in Rempubl. ipsam erunt, qui posthabita dignitatis ratione jure suo quæsito cedere vellent. Possent hæc omnia adhuc clarius deduci; sed, cum ad rationes ipsas ex quibus Præcedentia

dentia alicui competit, properandum sit, nihil amplius, quam Judicium *Petri Matthei, Historici Regii, L. I. narrrat. ult. n. 14. in vita Henrici IV. Reg. Gall.* hac de re addam, quod ita se habet: *Dici quidem solet, supremam legem esse salutem populi: verum respectus Principis & ordo, quo aliis præferri debet, est in perpetuum immutabilis. Prostant leges, quæ occiduæ & mortales. Prostant & aliæ, quæ perpetuæ & perennes. Illæ durationem suam ex tempore sumunt, has necessitas ipsa semper durabiles reddit, propter perpetuum commodum, quod in earum observatione reperitur. In conditione legum immortalium est Jus præsessionis quoque notatum; nam, qui patitur diminutionem, indignus est incremento.*

SECTIO II.

IN QUA ARGUMENTA FALSA, EX QUIBUS NONNULLI CONTROVERSIAS SESSIONUM DECIDERE VOLUNT, EXAMINI SUBJICIUNTUR.

ANtequam ad ipsas rationes accedamus; primo vox illa *Præcedentiæ* nobis excutienda venit, quam doctissimus *Freinshemius* annotavit *in Diatr. I. de S. R. Imp. Elect. & Cardin. præcedentia* minus Latinam esse. Sed, cum apud Romanos præcedentiæ aptum nomen non inveniatur, inopia ejus linguæ hoc vocabulum sequentibus temporibus approbavit. Græci felicius hanc vocem expresserunt appellantes πρωτοκλισίαν πρωτοκαθεδρίαν, προεδρίαν; nec mirum, eos in explicanda hacce voce melius incessisse, cum in Græcia ob varias Respublicas, in quibus divisa erat, sæpe & interdum etiam armis quam acerrime hæc de sedis prærogativa quæstio agitaretur; Romanis vero nemo honorem præcedentiæ disputare conabatur, ita, ut adhuc sub libera Republica Legati eorum præ exteris Regibus præcedentiam sibi asseruerint; cum vero Respublica in Monarchiam desineret, ultro Reges sese submiserunt. Notatu dignum est, quod *Suetonius* de *C. Cæsare Caligula* in ejus vita memorat: Cum audiret forte Reges, ait, qui officii causa in urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς; ita statim lis sta quievit.

Verna-

Vernaculum nostram Linguam quamvis satis amplam, divitem & copiosam esse nemo negaverit, illam tamen proprio aliquo vocabulo, quod accurate allegatas Græcas voces exhauriat, destitui, ideo Freinshemius asserit, quia vocabula: Rang/Ordnung/Fürsitz/Fürgang/ Vorzug/ speciem tantum honoris non vero genus denotant. Verum, cum ipsæ etiam græcæ Voces, si penitius inspicantur, ita se habeant, ut certam non in omnibus, sed in speciali quadam occasione præferentiam involvant; non video, quid Græca Lingua præ nostra hac in re peculiare contineat; imo dixero potius, vocabulum Vorzug/ tam universale esse, ut omnes græcas significationes sub se comprehendat. Interim, cum voce præcedentiæ ut plurimum hodie scriptores utantur, eaque ferme apud omnes gentes Europæas recepta sit, nihil obstare videtur, quo minus & illa à me adhiberi potuerit.

In illis, qui eundem superiorem agnoscunt, res clara est, quia omnia a Principis arbitrio dependent, qui, uti dignitatum omnium Oceanus est, ita & Regula; ut proinde, quem modum beneficii sui esse velit, ipse æstimare atque interpretari debeat ac soleat, *argum. l. 191. de R. J.* In horum igitur præcedentiis leges Principis, in quibus particulariter disposuit, solum attenduntur; sed in illis, qui superiorem non agnoscunt, majori opus est cautione. Quamvis vero inter omnes facile conveniat, digniores aliis omnibus esse præferendos; attamen, ex quibus rationibus atque argumentis quis alter altero dignior dici possit, & per consequens jus Præcedentiæ sibi vindicare queat, res est ardui & multorum judiciis subjecti operis. Antequam autem ad veras causas accedamus, ex quibus controversiæ de Jure προεδρίας decidi debent, prius falsas excutiemus.

1. Multi reperiuntur, qui omnia honoris atque præcedentiæ fundamenta ex potentia metiri solent, illumque præferendum putant, qui vel divitiis, vel reditibus, vel aliis fortunæ bonis alterum superat. Nituntur hoc argumento inprimis Scriptores Hispanici, *Vasqius, Valesius*, &, qui præcipue hic memorandus, *Chifletius in Vindiciis Hispanicis cap. 10.* & ex eo Regi Hispaniæ Præcedentiam præ Rege Galliarum deberi, contendunt. Sed, uti hæc sane qualitas ab initio

inter

inter pares non vilem habet autoritatem; ita multis modis demonstrari potest, quam lubrico hæc nixa sint fundamento; id quod etiam fecit Celeberrimus *Puffendorfius de I. N. & G. L. VIII. c. 4. §. 13. sqq.* Quodsi sane bona animi, & merita vitæ, quæ longe præstantiora, non semper in censum veniant; quanto minus attendi debent hæc externa fortunæ bona, &, licet quidem potentia ad effectum aliquem in vita humana producendum apta sit, ut venerationem imo & terrorem excitare queat: tamen hoc non unicum est honoris fundamentum. Honor enim ita recte definitur, quod sit opinio alienæ potentiæ, sed conjunctæ cum bonitate, quemque idcirco, uti doctissime allegatus *Puffendorfius* probavit, tres affectus, amor, spes & timor concomitari debent: Quod si prior deficiat, timor solus pro honoris indicio nullo modo haberi potest; stultum enim esset, ei non cedere, cui nocendi facultas. Si argumentum à potentia & timore valeret, illi gentilium possent prætextum se excusandi inde quærere, qui Diabolum ob suam potentiam colunt, ne ipsis noceat. Accedit vero præcipue, uti *Puffendorfius* § 14. ostendit, omnia potentiæ indicia nil nisi jus imperfectum ad consequendum ab aliis honorem producere, adeoque eum, qui libertate naturali gaudet, non cogi posse ad tribuendum illum honorem. Quod si vero alter per vim Imperii illum extorquere vellet, tunc sane non esset signum honoris, sed metus potius. Concessi equidem, potentiam ad constituendam primo inter pares præcedentiam nonnihil conferre; sed constitutam jam, altisque nixam radicibus nova alterius felicitas & hesternæ potentiæ vel divitiarum accessio labefactare nullo modo potest. Nam, si ad has externas conditiones confugere velimus, in singula fere momenta omnium Principum præcedentia periclitaretur, neque unquam solida sede consisteret; quandoquidem cum nullo ita comparatum est, ut non dignitatum & regnorum peculia in perpetuo fluxu sint, crescantque, decrescantque. Quodsi hoc fundamentum sufficiens esset, Turcarum Imperator Romanum Imperatorem utique præcederet, & sequeretur exinde hoc absurdum, quodsi fortassis novus Rex aliquis crearetur, cujus fines la-

tius extenderentur, quam extenduntur regna Imperatoris Germanici, quod ipsi Imperatori propterea esset præferendus. Hinc recte à Clarissimo *Gothofredo P. I. cap. 3.* dicitur, quod de Regia Majestate hoc semper judicium esse debeat, ut, licet unius scopuli terminis finiatur alicujus regnum, modo superiorem non agnoscat, æqualem tamen dignitatem cum potentissimo habeat, ut *Scholastici* loquuntur *intensive*, etsi non *extensive*, quo etiam Logicus ille Canon: Majus & minus diversas species non constituunt, pertinet: Et doctissime *Puffendorfius l. c.* §. 18. infert, quodsi alicui Regi tantum sit virium, ut regnum commode tueri possit, illum sane necesse non habere, ut alteri opibus atque potentia superiori cedere debeat, cum ille in modico ac parvo regno suo idem Imperium, quam alter in laxiori ditione sua, exerceat. Sic Genuensis Civitas, quæ solis fere mœnibus concludi dicitur, æque est Respubl. ac Veneta, quæ dominium maris Adriatici sibi vindicat. Videmus hinc, etiam in Comitiis eos Imperii Duces, qui potentia, majori Imperii amplitudine, magnarum opum ac divitiarum affluentia gaudent, aliis potentia longe inferioribus postponi; unde *Menochius Cons. 36. n. 51.* recte hanc consequentiam destruit, dicens: non est bona Consequentia: est potentius, Ergo dignius, & *Goldastus L. III. de Regno Boh. c. 13. n. 10.* recte quoque scripsit, quod non in ditionum, provinciarum & regnorum multitudine, non terrarum ambitu vera Majestas contineatur.

2. Porro quidam statuunt, digniorem esse & habendum, qui nobiliora & majora habet Insignia; sed recte & *Limnæus IV. 9.* & *Crusius* in Tractatu suo *de Præcedentia cap. 5. n. 6.* hoc argumentum tanquam admodum debile exploserunt, cum adhuc in incerto sit, quænam Insignia nobiliora, an simplicia, an composita, & illa insuper pictoriis & tectoriis fictionibus sint obnoxia. vid. *Spener in Opere suo Heraldico.*

3. Eodem lubrico fundamento nititur pluralitas titulorum, quam nonnulli tam acriter urgere solent. Multi enim ex Principibus felices se prædicant, si multis titulis, multisque regionum nominibus gloriari possunt, quas vel nunquam possederunt, vel

aliis

aliis cedere coacti fuerunt. Laboravit jam hoc ambitionis morbo *Iustinianus* Imperator, qui in *Proœmio Instit.* nomina populorum assumsit, quos nunquam devicerat, imo ne bello quidem lacessiverat. Pertinet hue quoque *lex Rhodia*, ubi Dominum mundi se appellavit *Antoninus* Imperator. Sed, uti merito alii Principes, qui terras illas vere possident, hæc tanquam somnia rident, sic facile exinde apparet, quam leve sit, exinde argumentum Præced. petere velle. Nam hodie eo fere deventum est, ut tituli non rei veritate, sed opinione hominum nitantur, cum unicuique liceat sibi fingere titulos portentosos; ridiculum certamen ex hoc titulorum concursu, uti bene annotavit doctissimus *Freinshemius*, existeret, si superior is esset habendus, qui talibus excogitandis ingeniosior esset aut impudentior. Hinc *Franciscum I.* Galliæ Regem multitudinem titulorum Hispaniæ Regum jam olim risisse, legitur, & loco ambitiosæ Inscriptionis, qua *Carolus V.* Imperator utebatur, præcepisse, ut literis dicto Imperatori præsentandis præfigeretur: Franciscus Dei Gratia Rex Franciæ & Dominus Gonessæ, qui pagus est minimus fere totius Regni. Interim hoc non eo tendit, ac si illa Elogia Regum atque Principum, quibus vel sanctitas muneris, vel vigor administrationis, vel excellentia virtutis indicatur, parvi facienda esse putem. Minime Gentium! sed Doctissimi *Boecleri* b. m. verbis potius ad sensum meum explicandum utar: *In titulis, quibus augusta Regiæ ac Principalis dignitatis majestas insignitur, dubitandum non est, quin adulatio multa invenerit, amplificaverit, novaverit: sed statim detrectare ista aut abolere ne prudentes quidem potuerunt: & admisso semel exemplo inter pares pro injuria est, imparibus titulis ornari. Quo factum est, ut, quod adulatio à principio fuerat, paulatim ratio fieret.* vid. *Ej. Dissert. de Eleg. Mor. Civ. & Aul. p. 500.* conf. *Ej. Diss. de Auspicio Regio.*

4. Accedo jam ad aliud argumentum, ad pluralitatem scil. dignitatum, cui multi quoque præcedentiam adsignare volunt. Et sane multiplicatio dignitatum præcipue inter privatos præeminentiam honoris tribuit, illeque, qui plures dignitates habet, præferendus vulgo est habenti pauciores. Imo hæc quoque ratio fuit

decisionis *Concilii Basileensis*, cur illud in Controversia de Sessionis ordine inter *Ducem Burgundiæ* & *Electores S. R. Imperii* orta, Legati Ducis Philippi prælationem adjudicaverit, quod Burgundus majorum quinque Ducatuum & quindecim Comitatuum, aliorumque præterea plurium eximiæ ubertatis Dominiorum possessor & Dominus esset, quæ *Sanmarthanorum fratrum Regis Francia Historiographorum* verba sunt ap. *Chiflet. Vind. Hispan. p. 135.* Sed, cum in honorum ordine collocando non tam personæ atque familiæ ipsius, quam officii, dignitatis, sive administrationis, quam quisque gerit, ratio sit habenda, uti bene docet *Arumæus ad A. B. p. 192.* quæritur, an Patres Synodi Basileensis jure illud fecerint? Ut eò melius mentem meam explicem, videndum est, an multiplex illa dignitas sit majot una sola, an æqualis, an minor? In priori casu non ob concursum dignitatum, sed potius ob excellentiam majoris gradus præcedentia tribuenda est. In altero prærogativa temporis erit attendenda, in tertio vero omnino Præcedentiam cum jam sæpius allegato *Gothofredo* denego. Nam is, qui duplici dignitate sive ejusdem sive diversi gradus gaudet, exinde supra eum, qui unicam tantum dignitatem superiorem ex illis habet, non titulum ad præcedentiam sufficientem obtinet, adeo, ut ille, qui plures Comitatus exiguos, e. gr. possidet, exinde non possit præferri habenti magnum Comitatum quendam antiquiorem. Ergo pluralitas non efficit aliquem digniorem, quando singulæ non sufficiunt ad excludendum eum, qui alioquin magnam unam obtineret dignitatem. Objiciuntur quidem leges nonnullæ, quas citat doctissimus *Gothofredus P. I. cap. 3. th. 27.* sed, eas ad hodiernos dignitatum gradus non trahendas esse, ostendit *eod. loco*, uti non magis regulam illam: Duo vincula uno fortiora esse. Dictum enim illud obtinet in vinculis, quæ aut à natura, aut à consilio, non, quæ à fortunæ beneficio promanant. Praxis quoque omnem ejusmodi ratiocinationibus efficaciam præclusisse videtur, nec in Comitiis Comitem & Baronem simul ob duplicem illam dignitatem simplici Comiti præferri unquam, constat, modo hic tempore prior sit.

5. Anti-

5. Antiquitas Regni atque familiæ quoque in hunc Censum venit. Hoc argumentum non in totum rejicio, sed in eo tantum casu, in quantum à multis scriptoribus ad Præcedentiam Regum atque Principum modernorum stabiliendam ridiculo modo gentium ipsarum origines ab *Adami* vel *Noachi* temporibus *Pseudo Berosi* sæpe ab *Annio Viterbiensi* confecti autoritate arcessuntur. Ostendit Clarissimus *Gothofredus Cap. I. th. 5. & Cap. II. th. 16.* quam varie peccetur, si de vetustiori familia vel domus Principalis ortu disquisitio instituatur, &, quam absurde ad vetustiorem formam assurgatur, ut inde titulos petere velimus. Extant plurima hac de re Exempla Scriptorum Hispanorum, qui res gestas veterum Hispanorum jam inde a *Tubalcaino* ad Regum suorum Præcedentiam arcessunt. Nota quoque est *Ægyptiorum* & *Scytharum* de vetustate concertatio, quam refert *Iustin. L. 2. C. 1.* Similis contentio inter Athenienses & Argivos olim fuit memorante *Isocrate* in *Panathenaico.* Refert quoque *Crusius L. I. C. 6.* multa absurda de Bohemorum, Danorum atque Saxonum aliarumque gentium fabulosa Origine. Sed hæc omnia, quæ de primordiis atque ortu populorum vulgo adferuntur puerilibus fabularum nugamentis, mendaciisque sunt referta, ut illis igitur fides merito sit deneganda.

Ceterum, quamquam in deductione antiquitatis multum fabulis, uti hactenus est ostensum, tribuatur, tamen a me illud impetrare non potui, ut cum Illustrissimo *Puffendorfio*, cujus manes alias summe veneror, durationem temporis plane rejiciendam esse, putem; credo potius, quod si constet de certa originis antiquitate, eam quam plurimum ad dijudicandam inter pares præcedentiæ quæstionem facere. Dicit Illustrissimus *Puffendorfius*, Principatus aut regna modo sint libera, nec ab alio dependeant, parum sane interesse, quamdiu hoc jure sint gavisa. Sed, quamquam non negem, multum fati benignitati & bonæ administrationi regentium adscribendum esse, quod hoc vel illud regnum diutius floruerit, interim tamen jus præcedendi tali regno disputari non poterit.

Dixi jam antea, hanc Præcedentiæ Controversiam ex moribus & consuetudinibus gentium maxime esse dijudicandam; exempla vero, quo meliorum sunt temporum ac populorum, eo plus habere debent autoritatis: Jam vero à moratioribus gentibus semper locus honoratior antiquitati est datus. *Plinius* scribit: Senectutem in urbibus sacram esse *ep. 8. L. VIII. ad Maximum & Bodinus* memorat *L. 1. de Republ. c. 8. n. 149.* Augustum, prout quæque Respubl. antiquitate superior existeret, ita dignitate priorem esse, voluisse. Apud *Romanos* quanti semper fuerit æstimata antiquitas Originis & familiæ, ex appellatione *Novorum hominum* dilucide apparet; dum plebejos, qui claros majores nullos habuerant, quique ipsi primi lucem generi suo attulerant, ita appellare consueverunt. Hinc ex hac antiquitatis & dignitatis perennantis ratione *Rex Franciæ* post Imperatorem primum inter *Regem Hispaniæ* aliosque Principes obtinet locum, quia mox post annum 400. jacta sunt fundamenta Regni Franco-Gallici, cum alia regna in obscuritate adhuc laterent, aut vilis pars servientium essent. Neque etiam *Chifletius* acerrimus Hispanicæ Prærogativæ defensor rejicit hoc præcedentiæ fundamentum, aut antiquitatem hanc *Francici Regni* negat, sed ex his omnibus potius concessis, quamvis infeliciter probare voluit Hispaniæ Regis πρωτεδρίαν, quem vetustiore gradu ex *Merovingica* & *Carolingica* stirpe prognatum *Capetingicos* Reges antevertere, demonstrare voluit *Vind. Hispan. pag.* 93. Et Papa *Pius IV.* cum Legatus Hispanus à sententia Senatorum Venetorum ad Curiam Romanam appellaret, præcipue hac ratione motus declaravit, debere præcedere Legatum Regis Galliæ sub fundamento, quod Galliæ Regnum sit antiquius Hispaniæ.

6. Urgent porro Regulam illam: Ex facto sumitur Jus, ergo facto mutato jus quoque mutari debet, quodque non præteriti, sed præsentis temporis in quæstione de Præcedentia sit habenda ratio. Urget hoc quoque Illustris *Puffendorfius* §.17. *l. c.* dicens: *ex præsentibus quemlibet esse æstimandum, præterita non amplius, futura nondum ad nos pertinere*, & *Besoldus in Dissert. de Præced. p.* 133. hoc quoque argumentum propugnat, & ad Regem Hispaniarum appli-

applicat, quod sc. cum factum & circumstantiæ ratione Hispani per accessionem multarum ditionum sint mutatæ, merito Jus antiquum Regi Galliarum nihil prodesse debeat. Sed hæc quidem recte procedunt, si talis contigerit mutatio, quæ substantiam dignitatis afficit; tum enim jus possessionis & factum & præcedentiam quoque mutari ac innovari fatendum est; ast, si accidentalia tantum mutantur, & substantia prior dignitatis immutabilis permanet, Jus antiquum minime immutari debet. Probat hoc clarissime *lex 76. ff. de Iudiciis*, ubi JCtus Alfenus illud exemplo a Legione desumto illustrat, quod scilicet illa Legio, ex qua multi decesserunt, & in quorum locum alii subjecti sunt, semper eadem maneat; quodque navis, si etiam adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eadem semper navis existimetur. Confer ea, quæ Celeberrimus *Gothofredus* de Controversia Præcedentiæ inter Ducem Florentinum & Ferrariensem exorta, & a *Carolo V.* in favorem prioris decisa profert *Cap. I. th. 5. & Cap. III. th. 16.* ubi tamen quædam non male in dubium vocari videntur.

7. Converto me jam ad ordinem scripturæ, quem multi tanquam argumentum omni exceptione majus allegare solent. Ego, quamquam publicis monumentis, Rescriptis Principum atque subscriptionibus Recessuum non parvam autoritatem tribuam, præcipue quando Lege, Albo, aut alia matricula certa dignitatum distributio fit, & illa nominatio expresse facta est ad ordinem inducendum; tamen uti hæc omnia sub limitatione quadam sunt accipienda, ceu infra ostendam, sic, si in genere dicendum quod res est, ex simplici & enunciativa demonstratione personarum vel locorum non tutum Præcedentiæ argumentum desumi potest. Ubi enim constat de majori dignitate vel Præcedentia, ordo Scripturæ nullam conciliat illationem, nec ordo scripturæ spectatur, uti expressum textum *ff. l. 6. de solut.* habemus, sed potius ex jure sumitur id, quod agi videtur. Præter alios Scriptores, qui infinitis exemplis fragilitatem hujus argumenti probarunt, videri hac de re quoque potest jam sæpe allegatus *Gothofredus C. II. th.* 13. ubi

in

in notis etiam triplices hujus rei adduntur rationes. Prima, quod scriptores, dum simpliciter enunciare & demonstrare personas atque locos volunt, de ordine minus sint solliciti. Secunda, quod non omnes in materia Præcedentiæ versati sint. Tertia, quod nonnulli retrogrado & inverso sæpe more a minoribus ad majores assurgere eadem oratione interdum soleant. Multi quidem obstare videntur textus tum *Iuris Canon.* tum *Iuris Civ.* ex quibus evinci posset, illum, qui posteriori loco scriptus est, minoris dignitatis esse illo, qui priori loco scriptus reperitur, sed illos commode ex adducta limitatione conciliari posse credo. Quod ad argumentum ex *Subscriptionibus Recessuum*, ut speciatim jam de Germania agam, petitum attinet; illud à multis urgeri solet, & videmus passim, si in Comitiis de Sessione inter Principes & Status Imperii lis oriatur, Legatos ad Subscriptionem Recessuum inprimis recurrere solere: Ego, quamquam illud non prorsus rejiciendum esse putem, præcipue, ubi cum aliis ad Præcedentiam stabiliendam inservientibus argumentis concurrit, tamen, si nullum aliud quam à sola Subscriptione Recessuum extaret argumentum, illi tuto inhærere nollem. Constat enim ex ipsis Recessibus, Status Imperii promiscua sede interdum usos esse, prætereaque frequenter per interpositas protestationes jura sua conservare solent, ut adeo ejusmodi subscriptiones nulli statuum præjudicium afferre possint. Vid. inpr. *Rec. Imp.* zu Augspurg *de anno* 1555. §. 142. Es soll auch die Session &c.

8. Sunt alii, qui eum digniorem esse statuunt, qui vel majorem habet districtum, vel in nobiliores dominatum exercet, quod argumentum connexionem quandam habet cum primo à Potentia desumto: Sed nec huic opinioni ad hærendum esse, allegati scriptores satis superque ostenderunt. Hæ enim qualitates non sunt a legibus animadversæ, ut propterea quis alteri sit præferendus, &, uti jam supra audivimus, quod non ex spatiis externæ magnitudinis atque potentiæ regnum aliquod sit metiendum, ita nec à consideratione subditorum prærogativa dignitatis dependere potest. Nam, si potentia, divitiæ aliaque externa

bona

bona in ipsis Principibus non debent attendi, multo minus in subditorum personis sunt attendenda. Videmus, idem evenire apud Ecclesiasticos; Episcopus n. ideo non est altero dignior, quod majorem habeat diœcesin, sed ejus dignitas maxime à præstantia ordinis aut prærogativa temporis dependet, nam, qui prius in ordinem est receptus, & si minorem habeat jurisdictionem, alteri præfertur: & sic quoque apud seculares inprimis inter pares amplior ista Jus dicendi Potestas non consideratur sed antiquitas dignitatis. Pertinet huc A. B. textus circa præcedentiam Electorum *c. 23.* ubi §. 2. hæc verba leguntur: *Primum autem vel secundum sive tertium hoc casu, secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit.* Limitationem tamen hujus Regulæ de promotionis antiquitate observare est in *Codice Theodosiano Lib. VII. Tit. 3. L. 1.* cujus hæc sunt verba: in omnibus qui militiæ nomen dederunt ratio est habenda meritorum, ut is potissimum potiorem adipiscatur gradum, qui meruerit de labore suffragium, *nec quæratur, quis militarit prius, sed quis manserit in studio apparationis adsiduus.* Verum ille quidem textus speciatim agit de promotione in vacantem & superiorem militiæ gradum; potest tamen huc ita traduci, per analogiam juris, ut dicatur promotionis antiquitatem præcedentiam tribuere tantum *ceteris paribus.* Sed & in ipsa promotione aliquando occurrit differentia; ita in *C. Theod. d. tit. l. 2.* disponitur, ordine promotum sive eum, qui per continuatum ordinem laborum *gradatim*, uti vulgo loquimur, ad altiorem militiæ gradum adscendit, præferendum esse ei, qui per *cæleste oraculum*, uti verba habent, id est per Codicillos Principis fuit eò promotus. Hæc tantum obiter. Non igitur ex majori jurisdictione (per quam hic districtum intelligo) neque ex dominatu in nobiliores subditos desumenda est aliqua prærogativa: cum exinde sequeretur, Imperarorem Romano Germanicum hodie nobiliorem esse, quam olim, cum Duces, Comites mera tantum essent Magistratuum nomina, quod tamen nemo dixerit. Respicienda est potius in Præcedentiæ juribus propria Principum dignitas, sive character, juxta quem vel sunt Imperatores, Reges, Duces vel Comites: cui, si illæ temporis aliæ-

que circumstantiæ superaccedant, ex usu inter gentes recepto, ad quem sæpius provocare solent, aliquid ad Prærogativam contribuunt.

9. Illud quoque axioma, quod is sit præferendus, qui à majore dignitatem accepit, cum grano salis est accipiendum. Quamquam enim à majore ordinatus vel dignitate auctus præcedere debeat à minore ordinatum, & nobilis ab Imperatore creatus præferatur à Duce creato, tamen primo temporis aut aliarum qualitatum paritas hic venit attendenda. Deinde nobilis unius regni non semper cedere debet nobili Germaniæ; nam, ut maxime Imperator ceteris Regibus præferatur, attamen substantia dignitatis Imperaratoriæ cum Regia eadem est. Ita quoque videmus Angliæ aut Hispaniæ Reges id jus á Cæsare l. à Pontifice non habere, sed populi eos Reges sibi constituerunt. Cedentne ergo iis Regibus, qui vel à Cæsare vel à Pontifice hanc dignitatem acceperunt? minime Gentium. Comprobari hæc possunt, uti *Menochius* ostendit, veteri exemplo: Cum enim olim Augustus Cæsar Provincias cum senatu divisisset, in suas quos mittebat, Præsides nominabantur, quos vero senatus in suas mittebat, Pro-Consules appellabantur. Horum vero dignitas major erat, etsi non à Cæsare, sed à senatu mitterentur. Præsides enim fasces non habebant, Pro-Consules vero sex fascibus & magistratus Insigniis utebantur, atque simul ac urbe exiissent, sumebaut jurisdictionem Voluntariam etiam extra Provinciam, quam Præsides non exercebant.

10. Quidam etiam Ætati prærogativam adscripserunt, id quod lubenter cum Domino *Gothofredo* concedo, si paritas dignitatis ac temporis adsit; nam, ubi omnimoda æqualitas, ibi naturales & genuini honores rursus exoriuntur. Cæterum ætatis & senectutis ratio in publicis præcedentiarum controversiis non debet attendi, & *Crusius*, qui hoc argumentum tanquam præcipue ad Jus Præcedentiæ pertinens urget, operam hac in re lusisse videtur, cum allegata exempla vel ex pacto sint orta, vel ad Curialia & urbanitatem sint referenda: Exempla autem *a Goldasto* in opere suo *de Majorit.* allata pactum aliquod atque Consuetudinem particularem, non generalem, inducunt.

11. Alii, etiam loci atque regionis, cui quis præest, rationem

nem habendam esse, contendunt, variaque de locorum præstantia adducunt elogia; sed, quam fragile hoc sit argumentum, omnes de hac materia scribentes agnoverunt. Et, quanquam dignitas & præcedentia Primatuum Ecclesiasticorum olim ex Provinciarum dignitate pependerit, idque principii quasi loco habitum, ut, prout Civitatis dignitas à Principe efferretur, ita & Episcopi simul eveheretur; Ita enim ex vetustatis relatione constat, ordinem Sessionis & subscriptionis Episcoporum observatum fuisse in *Concilio Nicæno* non ex cujusque merito, sed ex Urbis & Provinciæ dignitate, cui quis præsidebar: Attamen hæc ad Principum atque exterorum præcedentiam nihil faciunt, cum uniuscujusque præcedentia sit metienda ex sua dignitate, non extra, ac multo minus ex loci ratione. Ridiculum igitur est argumentum, quod *Valdesius* non parum urget, quod scilicet Hispania sit principium & caput Europæ, &, si DEO placet, Virginis, ut Geographi describunt; Quæ omnia vero non digna sunt, ut illis immoremur.

12. Citant quoque huc nonnulli Curialia, eaque omnia, quæ vel jure hospitii, vel urbanitate, vel patientia familiari nonnunquam deferuntur: Ea vero uti nullum jus vetum tribuunt, ita neo alteri præjudicare debent, *argum. L. 31. ff. de operis libert*: adeoque, ubi de actibus possessoriis agitur, à publico præcedentiæ jure diligenter seperanda sunt.

SECTIO III.

IN QUA ARGUMENTA PRÆCIPUA AFFERUNTUR, EX QUIBUS SECUNDUM ICTORUM COMMUNEM SENTENTIAM CONTROVERSIA SESSIONUM DECIDENDA MANET.

POstquam varias Opiniones variaque argumenta Clarissimorum Virorum de finiendis hisce Præcedentiæ Controversiis allgavi, simulque ostendi, has sententias ita esse comparatas, ut neque in Possessorio neque in Petitorio in dijudicanda hacce gravissima lite tuto illis inhærere possimus; Nihil aliud supereſt, quam, ut ea argumenta adducam, atque examinem, quæ verissime stringunt,

quæque vim atque autoritatem ſibi conciliant, ut quis nitens illis fundatam intentionem habere dicatur.

In transitu liceat paucis quæſtionem attingere, qualia ſc. decidendi fundamenta adhiberi debeant, & unde illa ſint deſumenda. Fatendum hic eſt cum Celeberrimo *J. H. Bæcklero b. m.* in *Diſp. „ de Congreſſ. Princip. th. 34.* „ Omnino difficile eſſe, de Præceden„ tia Principum regulas tradere; cum in eo liceat forte *cras credere, hodie nihil.* Sunt nonnulli, qui omnia ex Jure Civili atque Canonico deſumi poſſe credunt, ſed illa Jura nobis certas atque ſufficientes regulas tradere non poſſe, unicuique liquet, cum *Jus Civile Juſtinianæum* multos Magiſtratus, ſtatuumque ordines ignoret, &, immutatis cum Imperii forma dignitatibus, multa quoque Juris axiomata ſimul ſublata ſint. Interim tamen Jus Civile in his Controverſiis non parvum habet vigorem, & *Gothofredus*, (quem ducem in plerisque ſecutus ſum) in *Protheoria p. 14.* dicit: neque plura neque certiora hanc ad rem principia aliunde, quam ex Jure Civili peti poſſe, Jurisque Conſulti ideo proprium munus eſſe, de Præcedentia reſpondere. Illi igitur mea ſententia recte incedere videntur, qui in hujus Controverſiæ deciſione Jure Civili, in quantum ad præſentem ſtatum noſtrum allegabile eſt, utuntur, potiſſimum vero ejusmodi argumenta urgent, quæ ſine controverſia atque contradictione in Conciliis & Conventibus publicis recepta, & in veteri obſervantia atque moribus fundata reperiuntur. Nam obſervantiæ & conſuetudinis cum in omnibus fere rebus tanta vis ſit, quanta ipſius legis *l. 32. ff. de LL.* tum in hac Diatriba maximum ſibi vindicat locum; quare & allegatus clariſſimus *Gothofredus* totum hoc negotium Prudentiæ Politicæ potiſſimum adſcribit, quod magis in moribus, quam in jure conſiſtere videatur. Licet jam id mihi non ſummam, ut in tam difficili atque ardua materia me recte procedere confidam, tamen lubet aliquid experiri, argumentaque talia producere, quæ ad hujus litis deciſionem maxime apta communiter á ICtis & Politicis creduntur.

Uti autem ſæpe accidit, ut quis diverſo teſpectu digniſſimus, modo minor & minus dignus ſi altero; ita ſecundum diverſitatem qualitatum,

qualitatum, quibus gaudet, diverso quoque jure utitur. Multa in Imperio nostro Germanico exempla habemus obvia, in quibus hæc diversitas apparet. Sic Rex Sueciæ ratione Ducatus Bremensis olim, & Pomeraniæ hodiæ, tanquam Status Imperii consideratur, ratione vero Regni Suecici neminem Superiorem agnoscit, & hinc etiam ob duplicem hunc diversum respectum diversa occupat loca. Nam, uti tanquam Rex in regno suo primas tenet, ita in Comitiis suo ordine juxta receptam antiquitus possessionem sedere debet. Hæc omnia bene sunt observanda atque separanda, ne in decisione hujus gravissime litis fallamur. Non semper enim major dignitas facit aliquem præcedere, nisi illa sit ordinata ad actum illum, pro quo tractatur de Præcedentia, & sic pluribus dignitatibus decoratus modo unius respectu, modo alterius, aut præcedit, aut sequitur.

Cæterum in jure Præcædentiæ duplex potissimum ordo dignitatum notandus venit, nempe Temporis & Qualitatis sive Majoritatis: Hinc duplices quoque inde elicimus regulas, quarum prima est, quod inter æqualem dignitatem possidentes ordo temporis sit observandus, isque alteri sit præferendus, qui prius dignitatem est consecutus, quam jam supra attigi. Altera hæc erit, quod major dignitate minorem, licet sit tempore prior, præcedat; cumque ordo majoritatis ordine temporis prævaleat, ab hac regula initium faciam.

I. Est axioma illud, quod majores dignitate aliis in minore dignitate constitutis sint præferendi, non solum notissimum, sed apud omnes gentes moratiores quoque approbatum; inde in Germania alibique illud non modo inter Ecclesiasticos sed & seculares Principes obtinere videmus. Ita Pontifices Cardinalibus, Archi-Episcopi Episcopis, Presbyteri Diaconis in Sessionibus præferuntur, juxta *C. præcipimus ult. dist. 93.* Eodem modo Reges Principibus, Archi-Duces Ducibus, Duces Comitibus, Comites Baronibus, hosque Nobilibus anteponi, quotidie conspicimus, & ex actis Comitiorum patet. Infinitæ operæ esset historicæque potius collectionis, hoc argumentum urgere, sed merito hisce supersedeo, cum

major dignitas apertus sit præcedentiæ titulus, qui scil. ex manifesto publiceque constituto sive recepto dignitatum ordine nascitur. Hinc etiam sequitur, nullum in hac majoritate observandum esse temporis ordinem, sed illum statim potiorem prioremque esse, qui majorem obtinet autoritatem, quia Prærogativa dignitatis & qualitatis altera semper prævalet.

II. Converto me jam ad alteram illam regulam, quæ ex ordine temporis vim suam trahit, quæque efficit, ut in uno eodemque genere dignitatis is sit præferendus, qui prius dignitatem est consecutus, eamque actualiter exercuit. Hæc prioritas temporis, uti jam dixi, solum inter habentes æqualem dignitatem attenditur, nam inter impares aut inæquales dignitate prima regula locum sibi vindicat. Conveniens hoc est Juri Romano; proinde graviter Theodosius & Valentinianus in *Constitutione de ordine inter Consules servando in l. 1. C de Consulib.* *Quis enim in uno eodemque genere dignitatis*, inquiunt, *prior esse debuerat, nisi, qui prior meruit dignitatem, Conf. l. 1. de albo scribendo & tt. C. Theod. quis in gradu præferatur*, ubi aliquot hujus Regulæ exceptiones habentur, multæque aliæ leges, quas citat *Gothofredus p. 80.* in notis. Probant hoc quoque textus Juris Canonici *cap. 1. de Majoritat. & Obed. cap. Episcop. 72. dist.* & *Grotius* hoc argumento ad ordinem inter pares stabiliendum *L. II. c. 5. §. 21. de J. B. & P.* quoque utitur. Hinc videmus, eum, qui titulum Ducalem prius nactus est, posterioribus illum adeptis præferri solere. Idcirco Collegia Politica ac Sacra prius publice probata, priusque Sacris usa aliis præferuntur. Sic etiam rescripsit Gregorius Magnus *l. 7. Regest. ep. 112.* Episcopos secundum ordinationis suæ tempus sive ad considendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, & suorum sibi Prærogativam ordinum vindicare. Hinc etiam constat in Conciliis Episcopos in Sessionibus & subscriptionibus illum locum ac ordinem tenere, quem habent a tempore ordinationis, nec dignitas Ecclesiarum attendi solet. Atque hinc recte statuitur, quod, qui prior fuit tempore, potior etiam sit in honoribus & privilegiis ejusdem

dem dignitatis. Ita inter Romanos Consulares præferebatur is, qui prior gesserat Consulatum, etiamsi posterior bis Consul fuisset. *Cujacius ad l. 2. C. de Consul. l. 12.* Elegantem hujus rei affert rationem Imperator Justinianus, *quod repetiti fasces Consulares virtutes equidem sæpe meriti comprobent, sed dignitatem non augeant; quia nihil est altius dignitate.* Ergo alia est meritorum & sic repetitæ dignitatis ratio, quam Ethica sequitur; alia dignitatis ipsius, quam Politica; ubi vero de Præcedentia agitur, dignitatis solius inprimis habetur ratio; non personæ dignitatem gerentis. Breviter: personæ merita non attenduntur in hoc concursu, sed dignitas ipsa, & circa dignitatem ipsam temporis tantum & Prærogativa & prioritas. Ubi tamen hæc monenda sunt, quod prior tempore interdum à posteriore vincatur, si actu posteriùs dignitatem administraverit, etsi ea dignitate prius altero investitus fuerit: ut ecce pater Consiliarii dignitatem gerens, in filium transtulit vivus spem dignitatis (*il l'a fait pourvoir à survivance*) idque ita adprobatum à Curia: Patre ad mortis usque tempus in officio suo perstante, alii ad Consiliarii munus evecti sunt, idque actu administrarunt: Mox mortuo Patre filius, quem dixi, per mortem patris ad munus Consiliarii jam actu administrandum promotus est: Quæri cœpit an filius illos postea cooptatos, sed qui prius administrarunt, præcedere deberet, an subsequi? Et vero Curiæ Parisiensis & Tholosanæ placita extant A. 1551. 1560. 1596. in spem dignitatis prius acceptum & cooptatum cedere oportere in actu prius constitutis, etsi posterioribus. Ceterum pro asserenda præeminentia hoc firmum manet argumentum, quod, qui prior dignitatem adeptus est, prior quoque fasces sumat, & in Sessionibus, sententiis dicendis & Subscriptionibus merito præferatur.

III. Non minorem in decidendis sessionum controversiis vim obtinet, si Lege, vel Pragmatica aliqua Constitutione loca certa sunt adsignata. Habemus auream Bullam tanquam ejusmodi legem in Imperio nostro Germanico, in qua quoad dissidia Sessionum & Præcedentiæ Electoribus certos terminos atque limites Carolus IV. posuit, eosque præ reliquis Principibus multis maximis

misque Prærogativis condecoravit. Optandum esset, ut in reliquis ordinibus certa quoque sedendi ratio per leges aliquas adinveniretur, sed, uti *Arumaus in Disc. de Comitiis* annotat, singulis fere Comitiis novarum litium clamoribus atria & subsellia personant. In Jure Romano invenimus ejusmodi Constitutiones: pertinet huc *tt. in Cod. Theodosiano Libr. III. septimus. Quis in gradu præferatur* item *tt. Cod. Lib. VI. 5tus. Ut dignitatum ordo servetur,* cui parallelus est in *Cod. Justinianæo Lib. XII. tit. 8vus*; Et inter Ecclesiasticos quoad præcedentiam multorum Pontificum bullæ quoque extant. Spectat huc *tt. X. de Majoritate & obedientia Lib. V. tit. 33. Add. dist. 21. 22. & 23. can. 6. dist. 74. c. 5. dist. 8. c. fin. dist. 93. 96. & 99. C. 2. q. 6. c. 12. & 14. C. 8. q. 4. C. 9. q. 3. C. 9. usque ad fin. Dist. 5. de consecr. c. 34. Extravag. Joh. XXII. c. Extravag. comm. Tit. VIII. L. 1.* Et certe, si ejusmodi adsunt leges, illæ omnino sunt observandæ quia justum præcedentiæ dant titulum.

IV. Consuetudo, inprimis vero possessio vel quasi, item actus possessorii non minus, quam lex, ut inter Privatos, ita inter Principes gradu pares justissimum quoque sunt Prærogativæ præsidium. Jus enim Civile non solum dicit, melius esse possidere, quam petere, sed & Jus Naturale, uti *Grotius L. II. c. 23. §. 11.* ostendit, dictitat, in pari causa conditionem possidentis meliorem esse, & consensu quoque gentium approbatum est, magnam semper habendam esse rationem possessionis. Hinc etiam in materia præcedentiæ quoad Possessorium pro Regula ab omnibus Dribus ponitur, quod is tuendus sit, cui Sessio, de qua controvertitur, ex usu competiit. Ex solo enim actu possessionis interdum desumitur decisio, ut testatur *Ruinus*, & *Riccius* notanter asserit, quod is in Præcedentiæ Jure fundatam habeat actionem, qui in possessione tempore motæ litis reperitur. Idque juri nostro maxime est consentaneum; nam pro possessore in dubio est respondendum l. 9. §. 4. *ff. de Publ. in rem act.* & is, qui in possessione est constitutus, defenditur Interdictis retinendæ possessionis, aliisque Remediis, quæ ex Jure possessionis constitutæ descendunt. Vid *Lauterb. Op. Maj. L. XLI. 2.* Ita in Gallia quoque pronunciari solet;

vid.

vid. Rouillard en ses Reliefs forens. ch. 4. ubi recenset, in conventu Clericorum controversiam circa præcedentiam ortam fuisse inter Abbates Regulares & Commendatarios ab una, & Archidiaconos, Decanos, Præpositos, aliosque in dignitate ecclesiastica constitutos ab altera parte, additque judicatum fuisse pro Abbatibus ex ratione: *qu'ils avoient deja la possession.* Huc etiam spectat *Constitutio* Regia *de A.* 1695. concernens jurisdictionem ecclesiasticam; ubi art. 45. habetur: *voulons, que les Archeveques, Eveques & tous autres Ecclesiastiques -- soient maintenus dans tous les honneurs, rangs & seance,* NB. *dont ils ont joui jusqu'a present*; unde patet, generaliter pro fundamento præcedentiæ in Gallia haberi possessionem. Ita apud *DuFresne lib. 3. c. 8.* refertur, ex eodem fundamento pro Præfecto Regio judicii inferioris, qui simul erat Advocatus in *Præsidiali* judicio, quod dicimus, in causa præcedentiæ pronuntiatum fuisse contra omnes reliquos Advocatos, licet antiquiores. Imo nec in Possessorio solum, sed & in Petitorio pro eo, qui per decennium jus præcedendi quasi possedit, recte pronunciari, scribit *Fab. de Anna Cons. 40. n. 8.* Probat qnoque *Mevius p. 3. dec. 46. n. 4.* & *p. 6. dec. 173.* quod semper præsumtio sit pro Possessore, etiamsi injuste possideat, *cons. l. 2. ff. uti possid.* Et, licet quis bonam non habeat possessionem, potest tamen manu armata resistere contra Illum, qui eum vult amovere; uti docet *Menoch. Cons. 57. n. 41.* Non mei jam est instituti, varios illos effectus, qui ex Possessione oriuntur, & quibus possessor defendi potest, latius persequi; hoc tantum monebo, quod hæc Controversia de Præcedentia in Statibus Imperii pariter ex possessione decidi soleat, vid. *Gail. L. I. observ. c. 21.* & hinc est, quod *Knichen* ait: Germaniæ Principes in Comitiis fundare sese concertantes in nuda possessione Sessuræ vel quasi, allegando actus hinc inde exercitos *c. 2. de Sax. non prov. jur.* Nec desunt hac de re Exempla: Videmus enim *Ferdinandum* Imperatorem in dirimenda lite Ducis *Florentini* & *Ferrariensis* hac potissimum decidendi ratione usum esse, nimirum, quod ita fuerit observatum in aula *Caroli V.* ut *Florentini* oratores præcesserint, & proinde *Florentinus* in quasi possessione con-

ſtitutus obtinuit egregiè, *Modeſt. Piſt. Volum. I. Conſ. 51.* Et expreſſe inſuper declaratur in *Receſſu Imperii Spirenſi de anno* 1570. §. 164. quod quilibet merito in poſſeſſione Seſſionis vel quaſi ſit tuendus, aber inmittelſt ſoll ein jeder bey ſeiner Poſſeſſion vel quaſi, wie die hergebracht/ gelaſſen werden &c. Unde in Reſcripto Electorum & Principum ad Imperatorem ſuper controverſia Seſſionis inter Duces Megapolitanos, & Duces Pomeraniæ, Juliacenſes, Haſſiacos ac Würtenbergenſes Ratisbonæ exhibito d. 16. Aug. an. 1594. inter alia hæc habentur: Indem gleichwohl erachtet wird/ in Erwegung bey etlichen Reichs-Verſammlungen befundener Seſſion, oder anderer im Reich gehaltener Viſitation, Deſignation & Ordnungen/ das Fürſtliche Hauß Mecklenburg in gebührendem Reſpect wohl gehalten werden kan. Ex quibus manifeſto apparet, actus Poſſeſſorios potiſſimum in conſiderationem venire. Hinc & *Corneus Vol. 2. Conſ. 193. n. 14.* tradit, quod actus poſſeſſionis vel quaſi, quod quis in loco ſtetit vel ſedit, antevertendo alium, tribuat prærogativam, quodque talis in eo manuteneri debeat: ut igitur in lite Præcedentiæ his argumentis de Conſuetudine & Poſſeſſione deſumtis ſecundum ſaniorum Politicorum & JCtorum ſententiam, tanquam peremtoriis, recte uti poſſimus.

V. In Præſcriptione quoque, ea potiſſimum, quæ ſe fundat in immemoriali tempore, magnum auxilium eſt. Volunt nonnulli argumentum hocce plane rejicere, exiſtimantes, præſcriptionem ſolo Jure Civili eſſe introductam, nec alias gentes obligare, ſed, quod illa non ſolum apud Romanos, ſed & quasvis moratiores gentes recepta ſit, oſtendit non invalidis argumentis *Conringius in Tract. de Fin. Imp. Germ. c. 19.* & *Grotius L. II. c. 4.* Sic quoque exempla huius rei in Sacris reperimus literis: Ita *Jephtes Regi Ammonitarum* ſibi vindicanti terras inter Arnonem & Jacobum & ab Arabum deſertis ad Jordanem ſitas, objicit trecentorum annorum poſſeſſionem, & ab eo quærit, cur ipſe ejusque Majores tanto tempore ceſſaverint? Et certe voluit hoc rerum humanarum conditio; quandoquidem nulla reſpubl. firmo ſtaret talo, niſi tale

ſuppe-

suppeteret remedium, quo & lites abbreviari, & dominiorum certitudo haberi posset: unde haud male *Cassiodorus* præscriptionem appellat *patronam generis humani.* Et, quanquam jure Gentium de annorum numero nihil certi determinatum sit, statuit tamen in genere hoc jus, sufficere tanti temporis silentium in Domino, quantum ad repetendum jus suum probabiliter satis sit alii non negligenti & sufficienter ad repetendum instructo, intra quod si siluerit, jus suum pro derelicto habuisse censebitur. Verissime enim *Grotius* dicit: *Credibile non est, quemquam ejus, quod vult, longo tempore nullam plane edere significationem idoneam.* Ut adeo Doctissimus *Hertius in Diss. de modo constit. Civit.* recte doceat, præscriptionem, cum in ipsa naturali ratione fundata sit, locum inter liberos quoque populos habere, inprimis, si pristinus possessor tam longo tempore siluerit, & acquieverit, intra quod vel justis armis, vel saltem protestatione interposita, sæpe numero consulere sibi potuisset. Illi igitur, qui hoc modo jus alterius præscriptione acquisiverunt, plenissima munitione possunt esse securi. Hinc Jurisconsulti nostri dicunt, Præscriptionem vim habere privilegii *l. fin. ff. de aqu. quotid.* imo vim legis *l. 1. §. fin. in summa in princip. ff. de aqu. pluv. arc.* & ipsum titulum esse, nec alium titulum desiderare. Hinc *Menochius* dicit: quod is, qui semel renunciavit juri suo, non amplius possit habere regressum ad illud *Cons.* 401. *n.* 100. & iterum *Cons.* 16. *n.* 15. Est clari juris, renunciantem excludi ab omni jure suo, *cons. l.* 14. §. 9. *ff. de Ædilit. edict.* Quare etiam Doctissimus modo allegatus *Hertius* in *Dissert. de Super. Terr. p. m.* 320. certum putat, ex legibus Imperii nostri præter immemoriale tempus nihil amplius desiderari; *Recess. Aug. A.* 1548. §. 50. Wenn auch/ §. 64. Wo aber/ vid. *Instrum. Pac. Osnabr. art.* 8. §. 4. *art.* 9. §. 2. *art.* 15. §. 2. item *Capit. Leopold. art.* 3. Indubitati igitur videtur juris esse, quod quis præscriptione temporis jus quoque Sessionis & Votandi & Consensum præbendi amittere possit per *Cap. penult. de Consuet. in* 6.

VI. Venit jam aliud argumentum à Re Judicata petitum, quod in hac materia non minimum ponderis habet. Scimus,

quam egregios effectus Exceptio rei judicatæ in Jure nostro producat, quod scilicet actorem omnesque ejus intentatas actiones à Judicio repellat, quod vim legis obtinere debeat *L.* 38. §. *de ll.* & ejusmodi effectus inter Principes liberasque Respl. quoque tuetur, quando scilicet Principes inter se conveniunt, & tertii alicujus arbitrio se submittunt, aut, si rerum perpetuo ubique similiter judicatarum autoritas adsistat, i. e. constanter in eodem controversiæ genere, contradicto etiam judicio, ubique locorum similiter semper decisum fuerit. Et ex hoc capite Imperatori Sacratissimo præcedentia jure adstruitur super omnes Reges: Nam unanimis Christiani orbis Principum & gentium consensus hoc approbat, nec in Conciliis & Conventibus publicis solum, sed & ubique Augustissimis Imperatoribus Reges exteri honoratiorem in Consessu locum sine ulla contradictione tot seculis tribuerunt, vapulante hinc *Auberio*, qui etiam acrem Regis sui censuram expertus est, quod Prætensiones Regis Galliæ super Imperium, ejusdemque prærogativas super Imperatorem adstruere voluerit. Imo ipsi Christianorum & maxime Germanorum atque Imperii capitales juratique hostes, Turcæ, primas Imperatori Romanorum deferunt; vide tamen *Pfeffingerum in Not. ad Vitriar. Institut. Jur. Publ. L. I. tit. V.* §. 6. *lit. c.* Referri quoque huc debet famosa illa & jam sæpe allegata controversia inter Christianissimum Galliæ & Catholicum Hispaniarum Reges, quæ vero in favorem prioris non solum a Senatu Veneto, a Pontifice, a Concilio Tridentino, a Polono aliisque Regibus decisa est, sed Turcarum Imperatores Amurathem III. & Mahumedem III. pro Regiæ Galliæ quoque pronunciasse, testatur *Leonclavius in Supplem. Annal. Othom.* Tandem huc quoque referenda veniunt testimonia incorrupta, non domestica, quæ non studio partium sunt conscripta, aut extorta, verum, quæ ab exteris potius uno ore profecta, quæ autoritates ad hanc decisionem non parum facere videntur.

VII. Inter pares porro is alteri est præferendus, qui majorem jurisdictionem obtinet. Ex hoc fundamento summi Senatus, quæ *Parlamenta* vulgo vocantur, aliis omnibus Corporibus & Collegiis

legiis præferuntur. Hinc, qui mero & mixto Imperio gaudet, anteponendus est, ceteris paribus, civilem Jurisdictionem tantum habentibus. Et, quanquam majoritas jurisdictionis non semper inferat majorem dignitatem, & præeminentiam, uti hoc videre licet in Judice ordinario, qui, etsi majorem amplioremque habeat jurisdictionem judice delegato a Principe; non tamen semper est illo delegato dignior, nec illi antefertur, sicuti tradunt omnes in *rubr. ff. de officio ejus*, ubi *Purpur. n.* 30. Et majoritas jurisdictionis arguit præeminentiam tantum in ipso actu jurisdictionis, non in omnibus; nam Archi-Diaconus dignior est Archi-Presbytero ratione majoris jurisdictionis, sed tantum quoad jurisdictionalia, non in omnibus absolute, cum in Divinis præferatur Archi-Presbyter: Tamen nihilominus illud ad Præcedentiæ titulos est referendum, cum vulgariter obtinere soleat, ut is, qui major est respectu potestatis sive jurisdictionis ordinariæ, major etiam ab omnibus vulgo putetur, respectu dignitatis & Præcedentiæ. Et, quoniam de majoritate dignitatis agimus, plurimum hic facit habendi modus, prout *Grotius* loquitur *L. I. c.* 3. §. 11. Si de dignitate quæritur, dubium non est, quin ea major sit in eo, cui jus perpetuum datum est, quam, cui temporarium; atque ex hoc Capite *Crusius* Regibus Sueciæ & Daniæ majorem dignitatem adscribit, quia jus regni perpetuum & hæreditarium obtinent, quam Poloniæ Regibus, quibus tantum temporarium ad vitam modo competit. Is tandem major quoque dicitur altero, qui jure suo jurisdictionem administrat, quam alter jure alieno exercet; quia dignior est, qui propria dignitate fulget, quam, qui aliena, conf. *Menoch. Cons.* 902. *n.* 61.

VIII. Iis quoque Præcedentia debetur, qui cohærentiam vel unionem cum Capite habent, ceteris tamen paribus. Qui enim magis cohæret Principi, dignior dicitur; vid. *Felin. de Major. & Obed.* Hinc Cardinales præferuntur aliis Episcopis, & inter Cardinales Ostiensis ceteros præcedit, quia est proximior Domino, ut est *Glossa in §. aliam Inst. de bon. possess.* Hinc Consiliarii secretioris Consilii præferuntur nudis Senatoribus Regiis, licet tempore pri-

oribus. Quare Consiliarius Principis quoque dicitur pars corporis ipsius Principis *l. quisquis ad l. Jul. Maj.* & quidem pars hæc est nobilior illa, quam nudus Senator constituit, sicuti in membris corporis humani unum est altero nobilius & dignius.

IX. Labor quoque muneris dignitatem & præcedentiam ceteris paribus tribuit, nam secundum naturam est, commoda cujusque rei sequi eum, quem sequuntur incommoda *l. 10. de R. I.* & is, qui majores sustinet labores, dignior est illo, qui minores obit, vid. *l. 7. C. de prox. sacr. scrin. it. l 2. C. de Offic. Magist. Offic.* & dignius putatur id, ex quo in publicum major procedit utilitas, per *l. 3. C. de Primipilo l. 1. ad fin. C. de Caduc. toll.* Hinc etiam doctissimus *Puffendorfius L. VIII. c. 4. n. 23.* dicit: *Ordo munerum in universum hic maxime videtur concinnus, si eo major cuique adhæreat dignatio, quo præstantiora negotia & ad summam Reipubl. plurimum facientia per id obeantur*; unde &, qui reapse officium publicum exercent, præferuntur iis, qui muneris tantum titulum & honorem habent, ac inde honorarii e. g. Consiliarii dicuntur, quam in rem illustris est *L. 4. C. Theod. de Primicerio & Notariis*, ad quam omnino conferendus est *Iac. Gothofredi* egregius Commentarius.

Multa adhuc supersunt argumenta, quæ pro titulo Præcedentiæ potissimum inter Reges afferri solent. Ita enim in decidendis hisce Controversiis vulgo ratio habetur rerum bello paceque præclare gestarum, item antiquitatis & prioritatis susceptæ Christianæ Religionis, quam *Chifflettius Vindic. Hisp. cap. 15.* & *Grotius L. II. c. 5. §. 21.* quoque citat, dicens: hunc morem antiquitus in Christianorum Regum ac populorum societate obtinere, ut, qui primi Christianismum professi sunt, in Conciliis ad rem Christianam pertinentibus præcedant ceteros. Sic ab aliis alia arcessuntur argumenta; sed, cum hæc omnia parum ad scopum meum faciant, & magna interdum opus habeant limitatione, illis non inhærendum esse, duxi.

Hoc tantum ultimo loco monendum puto, Præcedentiæ jus semel quæsitum & constitutum perpetuum & immutabile esse, quamdiu videlicet substantia ipsa dignitatis durat atque immutabilis

lis permanet: Quodsi vero hæc dignitas in totum mutata; nam temporariam mutationem jam supra removi; aut præscripta fuerit, tunc etiam Præcedentia ipsa innovatur. Ita, si de Consule Rhetor quis factus fuerit, de Rege Ludimagister, tunc sane priorem locum tueri haudquaquam poterit. Quodsi vero vice versa dignitas aucta atque superior sit quæsita, ut ex Comite in Ducem quis sit creatus, tunc quoque Jus Sessionis mutari necesse erit.

PARS SECUNDA *sive* SPECIALIS.

SECTIO I.

EXHIBENS ARGUMENTA EORUM, QUI NOBILITATI ADDICTI SUNT, INPRIMIS HIPPOLYTI von Treißpach.

SUperiori parte in genere argumenta, ex quibus controversiæ Sessionum dijudicari debent, exhibuimus; superest jam, ut in specie ad institutum nostrum hæc applicemus, quo declaratis parallelis, quæ utrisque tam Civitatibus quam Nobilibus competunt, postea eo facilius de tota quæstione Præcedentiæ judicium ferre queamus. Expendemus autem prius ea, quæ vulgo Equestri ordini adscribuntur. Inter illa inprimis à Nobilibus urgetur.

1. Axioma istud, quod sc. *Majores dignitate* aliis *in minore* dignitate *constitutis* sint *præferendi.* In puncto enim Sessuræ & Præcedentiæ generalis hæc constituta est Regula, ut dignioribus dignior tribuatur locus, *c. Metropolitano dist. 63. c. illud in fin. caus. 8. q. 1. Tiraquellus de Nobilit. cap. 20. n. 51. & 52.* Jam vero secundum Naturam est, ut is dignior & aliis sit præferendus, qui ratione naturalis originis de meliore & nobiliore stemmate ortus est, *Hier. Gigas Cons. 69. num. 74. seq. Natta Cons. 637. num. 7. seq. tom. 3. Coler. Cons. 33. num. 64.* ac in specie, quod Nobiles ignobilibus sint præferendi in Sessionibus, Salutationibus, & id genus præferentiis aliis, manifestum, & communis Dd. traditio est *per l. singuli 2. l. 3. C. de offic. diverf. Iudic. l. 1. C. de offic. civil. Iud. l. f. C. ubi Senat. vel Clariss. l. 2. C. ut dignit. ordo serv. Tiraquell. de Nobil. c. 20. n. 51. & seq.*

& seq. Nolden. de statu Nob. c. 13. n. 5. & seq. Hinc omnes moratiores gentes præstantes familias sibi delegerunt, quas colerent & venerarentur. Hoc modo Judæi leguntur coluisse familias eorum, qui à Moyse in Consilium *Sanhedrin* adsciti fuerunt, *Cunæus de Repl. Hebr. l. 1. cap. 12.* Græci progeniem Regum ac Heroum; Romani Patricias familias honorarunt. Sic Romulus Romanæ Conditor gentis virtute & genere illustres opibusque præstantes à Plebe discrevit, & Patres appellavit, ex quibus tanquam Seminario perpetuo Senatores omni tempore legerentur, *Dion. Halicarn. L. 2. Antiquit. & lege XII. Tabl.* non permiscebantur Patricii & Plebeji, sed omnino distinguebantur. Quare continuo usu accedente effectum est, ut Nobiles semper maximas Prærogativas præ Plebejis obtinerent. Atque hæc Regula in tantum fundata esse perhibetur, ut etiam consuetudo, quæ minorem majori, ignobilem nobili præfert, nullius ponderis esse existimetur, *Beroj. Cons. 22. num. 20. & seq. Vol. 1. Ios. Nolden. de stat. Nob. c. 9. num. 7. seq.* Nec pacto vel consensu expresso id fieri possit, *Rumelin ad A. B. Dissert. 1. conclus. 18. & ibi Myler. in addit.*

Hinc nonnulli Interpretes deducunt vocem Adel ab Aquila, vulgo Adler/ & volunt, uti inter volucres illa viribus corporis, oculorum acie perspicaci, & nobilitate quadam animi principatum tenet, sic nobiles quoque supra vulgum & humilem turbam dotibus corporum, bonis animorum & fortunæ muneribus stent ac promineant. *Nold. de Stat. Nobil. cap. 1. num. 12.* Dicuntur Germ. Junckern; quem titulum mutuati sunt à Regum, Ducum, Comitum ac Baronum filiis, quibus olim solus competebat. Asserit namque *Cyriacus Spangenberg l. 5.* der Hennebergischen Chronick *cap. 13. p. 200.* se vidisse antiquum Instrumentum, in quo Regis Daniæ filius subnotatur: Juncker Otto von Dennemarck. Ex his omnibus igitur apparet, Nobilitatem semper in magno honore esse habitam, & adhuc habendam. Unde etiam videmus, qnod, si Imperator aut Princeps alius ob virtutes, præclarasque res gestas aliquem ex plebejis evehere velit, illum plebeja conditione eximere, & in Nobilium classem referre soleat.

2. Ad

2. Ad Basilicas & Collegia Canonica sive Capitula Cathedralia (quæ hohe, freye Stiffter vocantur,) nemo admittitur, nisi nobili stemmate ortus; quod si accidat, ut quis ex patre quidem nobili, matre vero ignobili natus fuerit, tunc non tantum filii ex his nuptiis inæqualibus orti, sed etiam nepotes in tertiam usque stirpem ad ejusmodi honores aspirare minime poterunt. In Ecclesiis Cathedralibus enim nemo Ajax recipitur, nisi cum Ulysse *apud Ovid. L. 13. Metamorph.* sit *Deus in utroque parente.* i. e. ex Patre & matre nobilis, *Nold. cap. 11. n. 28.* Imo in quibusdam locis etiam ii excluduntur, qui Nobilitatis suæ testimonium a quarto progenitore tam Paterno quam Materno exhibere non possunt. Idem quoque obtinet in ludis equestribus, ad quos nemo admittitur, nisi a quatuor Avis paternis ac maternis nobilitatem docere possit. *Nold. cap. 11. n. 83.* Ita enim expresse *legibus Torneamentorum Henrici I.* cautum est, ut, si quis à Parentibus Nobilibus satus non fuerit, deque sua nobilitate quatuor avorum natalibus docere nequeat, ad ludos equestres non admittatur, per textum in Vertrag und Ordnung über den Thurnier gemacht zu Hailbron von der Ritterschafft der Vierland, und Kayser *Friederich* dem *III. An. 1485. ap. Gold.* in Reichssatz. *part. 3. pag. 25. n. 1. & 2.*

3. Patet quoque exinde Nobilium Germanorum dignitas ac Prærogativa, quod ex iis Reges olim electi fuerint. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt*; inquit *Tacitus de Moribus Germ. c. 7.* conf. *Cyriac.* Spangenb. im Adel-Spiegel *Part. I. lib. 6. c. 6.*

4. Nobilium porro præ Civitatibus prærogativam ostendit, quod ignobiles capaces non sunt beneficiorum Ecclesiasticorum, (quæ Adeliche Stiffter appellantur,) qui tamen sæpe gradus est, quo nobiles ad altissimas tum Principales tum etiam Electorales perveniunt dignitates; quemadmodum id in Archi-Episcopatibus Moguntino, Coloniensi & Trevirensi, itemque in Episcopatibus Bambergensi, Herbipolensi, Augustano, Spirensi, Eichstatensi, Constantiensi aliisque obtinet, quarum omnium dignitatum nulla cadit in personam ignobilem.

5. Pertinent huc quoque Societates, fœdera & Uniones, quas olim equestris ordo in bello & pace cum Comitibus & Baronibus iniit; cujus rei illustria prorsus in Imperatoris, Electorum Principumque Archivis, & in historia Germanica extant documenta. Ita in ludo equestri trigesimo tertio An. 1485. Onolsbaci celebrato, in Societate, quæ ab Urso cognominabatur, præter multos Equites, Marchiones Brandeburgici, Comites Castellenses, Hohenloici, Helfensteinii, Sonnenbergenses, it. Barones Weinspergii aliique continebantur. Idem in Societate à Capricorno denominata, contigisse, refert Casparus

Lerch im ausführlichen Bericht, ob der unmittelbahre Adel ein Stand des Reichs sey? *fol. 18. seq.*

Porro, cum à longo tempore id prærogativæ habuisset nobilitas Germanica, ut in expeditionibus contra Turcas nobilis Germanus Vexillum S. Georgii gereret, atque hoc Privilegium auferre ipsis Bohemi conati essent, factum est vindicandi hujus juris gratia fœdus, cui 27. Comites, 47. Barones, 57. Proceres atque 324. Milites vel Equites adscripti. Sic, postquam Sigismundus Anno 1422. id potestatis nobilibus concessisset, ut ex commodo suo Societates componerent, Civitatesque Imperii in eam reciperent, ortæ hinc sunt variæ consociationes, quæ S. Georgii vocabantur. Comprehensi fuerunt in iis præter nobiles etiam Prælati, Comites, Barones: Id quod illa anno 1488. in octo annos unio confirmat. Unde clarissime patet, sub nomine nobilitatis Imperii, Societatisque San-Georgianæ olim comprehensos quoque fuisse Comites & Barones, ortumque inde nomen *Ordinis Equestris*, quod non speciatim tantum Nobiles, sed & *alii Ordines Imperii* sub eo continerentur. *Casp. Lerch. dict. tractat. fol. 30.* In cujus rei confirmationem producuntur Comites, qui Directores & Duces equestris Ordinis fuerunt, *conf. Dattius in Volum. Rerum Germ. L. II. c. 3.* Producuntur etiam variæ Litteræ à Comitibus, Baronibus & Nobilibus conjunctim sub nobilitatis equestris nomine scriptæ. Hujus quoque Unionis inter Comites Barones & Nobiles argumentum illustre invenitur in Austregarum constitutione, ubi his omnibus communis Austregarum Judex constituitur.

6. Constat, quod hodienum in ordine equestri contineantur plurimæ personæ perillustres, ut in Suevico Vice-Mareschalli Comites Pappenheimenses, Fuggeri &c. in Franconico Comites Hatzfeldenses. Jam vero, si nobili cuidam Baronis dignitas conferatur, si is in matriculam Imperii recipiatur, & in Comitiis comparendi jus accipiat, uti Civitates Imperiales haud dubie ipsi loco cedent; absonum profecto foret, tali noviter creato Baroni plus honoris tribui, quam toti corpori equestri, non unius tantum, sed omnium trium Circulorum; præsertim, cum novi hujusmodi Barones vetustioribus alias facile cedant & ex inveterata consuetudine ad id obstricti sint. Siquidem inter illos, qui dignitate pares sunt, sive eundem gradum & eandem qualitatem dignitatis obtinent, is dignior judicatur, qui prius dignitatem illam nactus est, per leg. 1. de Consulib. conf. *Hippolyt. à* Treyßp. *p. 254. seq.*

7. Quodsi vero nobilitatis etiam Equestris territoria, provincias & subditos in tribus circulis consideremus; patebit sane, illam hoc quoque in gradu minime Civitatibus Imperialibus postponendam, sed potius præferendam. Neque enim illustres tantum illæ personæ insignia territoria, sed & plurimi nobiles proprias Civitates, pagos, & vicos possident, quorum ubertate commodisque inde

inde redundantibus cum plurimis Imperii Civitatibus certare possunt, id quod Equestris Nobilitas & Ganerbinatus Fridbergensis testatur, qui Comitatum Kaichensem adhuc hodie possidet.

8. Porro si tempora illa, quibus Equestris Ordo cum aliis Principibus Proceribusque in Comitiis Imperii comparuit, respiciamus; patet sane, illum semper Comitibus, Baronibus & Proceribus immediate successisse, cum ipsis unum Collegium Conciliumque constituisse, atque adeo Civitatibus Imperii fuisse antepositum. Testantur hoc clare *Aurea Bulla*, innumeri *Recessus Imperii, aliæque Imperii Constitutiones*, quas citat *Hippolytus* von Treyßpach *p. 256. 257. 258. 259. & 260.* ubi semper Nobilitatis immediatæ ante Civitates mentio fit. Neque vero in Imperii tantum legibus hæc observantur, sed & in Cæsaris aula hoc stylo exarantur Diplomata, Privilegia, Rescripta, Mandata, Confirmationes, &c. Idem factum in aliis publicis ad Status Imperii & nobiles litteris, quod Ferdinandi II. edita passim anno 1624. ad Circulos commonitoria, & Ferdinandi III. anno 1642. ad Suevicum Circulum datæ litteræ confirmant. Hinc quoque effectum, *uti Hippolytus pag. 261.* memorat, ut comparentibus haud a longo tempore Viennæ Equestris Ordinis & Civitatis quibusdam nuntiis, eandemque sibi horam deposcentibus, qua coram Cæsare comparerent, Imperator tamen Nobilitatis nuntium priorem admitterer, quamquam Civitatis Legatus Litteras Credentiales prior obtulerat. Eandem ordinis prærogativam observant Status Imperii, cum ad alios status, & præsertim ad Ordinem Equestrem & Civitates Imperii scribunt, ubi in toto literarum contextu & in ipsa Inscriptione Nobiles præponuntur. Patet hoc ex illis literis, quas Palatinus Elector, Vicarius anno 1612. edidit, item ex illis, quas Norimbergæ anno 1619. congregati Electores, aliique Status ad Alsaticam Nobilitatem Civitatemque Argentoratensem scripserunt. vid. Treyßpach *pag. 262. 266.*

9. Accedit, quod non in toto solum Romano Imperio, sed in reliqua etiam Europa, ipsi quoque Nobiles Landsassii Civitatibus, quæ Superiorem agnoscunt, præferantur; id quod in Belgicis etiam provinciis (ubi Status est fere Democraticus & popularis) quam maxime observari legimus, cum tamen vel unica tantum Civitas potentior sit, & plus contribuat, quam tota Nobilitas. Idem porro in Dania, Suecia, Scotia, Burgundia, Polonia, jam olim obtinuit, & adhuc dum hodie obtinet. Cum ergo Civitatibus Municipalibus Nobiles Landsassii præferantur, eademque liberarum Civitatum ad Immediatam Nobilitatem sit ratio, quæ Civitatum Municipalium ad Nobiles Landsassios; recte profecto infertur prærogativa Nobilitatis immediatæ, cum nulla ratio diversitatis allegari possit, & absonum plane foret, Nobiles liberos & Imperio immediate subjectos pejoris esse conditionis respectu Civitatum Imperialium, quam Landsassios

ſios reſpectu Municipalium; ubi enim eadem eſt ratio, ibi idem Jus quoque eſſe debet.

10. Indubium eſt, & quotidiana docet experientia, in omnibus ſolemnitatibus, in quibus immediata Nobilitas & Civitates Imperii comparuerunt, harum Legatos illorum Legatis poſtpoſitos, nunquam contradicentibus Civitatibus; Quare ergo non idem obtineat in Conventibus Imperii vel Circulorum?

11. Cumque nullus actus poſſeſſorius vel quaſi ex parte Civitatum allegari poſſit, quo iſtæ in ullis Conventibus prærogativam exercuerint, & e contrario Equeſtris Ordo ex hactenus dictis, ab antiquiſſimo tempore in poſſeſſione vel quaſi juris præcedendi fuerit; nihil profecto eſt, quod illum ab hac poſſeſſione removere poſſit. *vid. Hippol. p. 270. 271. & 272.*

12. Notum eſt, quod Imperator Nobilibus immediatis titulum Veſte, Civitatibus autem Imperii Ehrſame tribuat, idemque faciant reliqui Proceres, dum vocibus, Edle, Veſte, partim etiam: Wohl-Edle, Geſtrenge reſpectu Nobilium utuntur, reſpectu autem vel præcipuarum Imperii Civitatum tantum titulis Ehrſame, vel ad ſummum Ehren-Veſte, Fürſichtige und Weiſe. Quis jam ſincerus rerum æſtimator non judicabit, Nobilium titulum præferendum eſſe titulo Civitatum?

13. Militaris decoris quoque ratio imprimis eſt habenda; cum enim olim nemo niſi nobilis militaverit, & exercitus ſolo fere equitatu conſtaret; tantam inde gloriam ſunt conſecuti, ut illorum ordo Seminarium militiæ vocaretur, & per excellentiam *militum* nomine indigitarentur, ſicuti in *feudorum libris* nomen militis pro Nobili uſurpatur, vid. *Beſold. l. 1. polit. c. 11. th. 45.* Jam vero in maximum præjudicium & imminutionem militaris fortitudinis verteretur, ſi illam prærogativam, quæ Equeſtri Ordini ob officia militaria & ob facta ſua heroica a tot Seculis omnique populorum uſu confirmata reperitur, ipſi denegare vellemus.

14. Nobiles immediati porro, cum non minimum repræſentent Imperii membrum argumento ducto ex *Receſſ. an. 1555.* §. Und in ſolchem Frieden ꝛc. & *Cameræ Ordinatione part. 2. tit. 5.* conſequi neceſſe eſt, ut etiam Status Imperii exiſtant, cum ſine principali membro corpus nequeat ſtare, aut integram retinere ſubſtantiam. Quodque olim Status Imperii fuerint, jusque ſeſſionis & ſuffragii in Comitiis Imperii habuerint, teſtantur leges fundamentales, ex quibus palam eſt, vocationem ad Comitia, comparitionem, & Conſenſum ex æquo illis adtribui, uti Electoribus aliisque Principibus. Et, quamquam hodie non amplius in Diæta Imperiali compareant; Status Imperii tamen ideo plane eſſe non deſierunt. Oſtenderunt illud, Viri Ampliſſimi, Conſultiſſimique, inter quos Præceptorem & Patronum venerari licet, & probarunt, exemplo Regis Bohemiæ, Nobiles ex eo ſolo, quod emanſerint, & ad comparendum in Comitiis haud fuerint adacti,

adacti, Status imperii esse non desiisse; imo prætendunt, eos etiam, ubi jus Sessionis & Voti neglexerunt, actu tamen primo Status Imperii & quidem proprie ita dictos mansisse.

15. Extant porro Specialia Privilegia, Dignitates, ac Regalia, quæ Nobilitati Immediatæ particulari lege, consuetudine vel statuto sunt concessa, quorum primum est, quod a Principum territoriali Jurisdictione sint liberi, Imperio & Imperatori immediate subjecti; hincque eundem solum & Cameram pro Superiore recognoscunt Judice; &, sicuti ceteris immediate Imperii subjectis civibus, ita & ipsis Camera vel Imperator Tutores ac Curatores constituit, aut jam constitutos confirmat, *Gail. I. Observ. 1. n. 47.* Hinc 2.) regulariter non minorem, quam ceteri Imperii Status, habent Jurisdictionis, potestatisque in liberis suis castris, pagis, aliisque bonis similibus eminentiam, &, quod in Principibus die Fürstl. hohe Landes-Obrigkeit, in Civitatibus die hohe Landes-Obrigkeit, idem in Nobilibus immediatis die hohe Adel. Dorffs-Obrigkeit, appellatur, conf. *Schweder Introd. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. II. c. 18. §. 10.* 3.) Gaudent beneficio pacis Profanæ & Pacis Religiosæ tam quoad professionem, quam quoad exercitium instituendum, vid. *Instrum. Pac. art. 5. §. 28.* ubi ipsis idem Jus, quod Electoribus, Principibus, & reliquis Statibus circa negotium Religionis competit, confirmatur. 4.) Habent Jus Austregarum & primæ instantiæ, quo in casu melioris etiam conditionis sunt, quam Civitates Imperii, quæ regularitet hoc beneficio non gaudent. 5.) Homagium a subditis exigunt. 6.) Habent jus collectandi. 7.) Magistratus, Prætores, Præfectos &c. constituunt. 8.) Fruuntur jure conducendi in territoriis suis. 9.) Regalia exercent. 10.) Jus venandi & forestalem Jurisdictionem. 11.) Immunes sunt ab omnibus Vectigalibus, collectis & Contributionibus. 12.) Condunt in suis ditionibus Statuta, Leges, & Ordinationes. 13.) Ganerbinatus constituunt. 14.) Fœdera pangunt. 15.) Cum subditis suis aliorum protectionem subeunt, vel alios in suam suscipiunt. 16.) Exterorum Principum militiæ adscribi possunt. 17.) Conventus indicunt. 18.) Nuntios & Legatos ad Imperatorem aliosque Status & Principes mittunt &c. 19.) Competit illis denique Superioritas Territorialis, quam ipsis inprimis vindicavit Vir Amplissimus, Consultissimusq; Dominus D. Feltzius in Diss. IV. de Statu Nob. imed.

16. Patet tandem Nobilium prærogativa ex plurimis Immunitatibus, Libertatibusque, quas præ aliis ex rerum gestarum gloria, Heroicis facinoribus & fortitudine bellica a Cæsaribus olim hodieque obtinuerunt.

Ex his quædam consistunt in Immunitatibus; ab officiis enim Civilibus personalibus plus oneris quam dignitatis annexum habentibus excusationem merentur. Hinc nobiles tutelæ munus publicum pupillorum ignobilium subire non coguntur; ab onere collectarum & a Vectigalis præstatione immunes sunt, vid. *Discursus formatus a Lendersheim de Jure & Privilegiis Nobil.*

Quædam in reverentia & honoribus Nobilitati deferendis; Nobiles enim sunt reverenter salutandi, in ambulationibus & Sessionibus aliisque id genus præferentiis sunt plebejis præferendi; Si in Judiciis comparent, Judex eos salutare & ad sedendum invitare debet; de Calumnia personaliter jurare non tenentur. Dos iis major ab uxore constituenda vel asportanda. Injuria iis facta gravius puniendа, quam, quæ facta plebejo, multaque alia privilegia, quæ recenset *nolden. per tot. cap. 13.*

Quædam in præsumtionibus; Nobiles enim fideliores censentur; hinc ex ipsorum ordine desumuntur quotidie summorum Tribunalium Præsides, Consiliarii; maxima negotia ipsorum fidei creduntur; ab ipsis Reges, & Principes educantur, & bono publico formantur. In testimoniis ferendis iis magis creditur & in Electionibus & aliis quibuscunque actibus, ubi voces undique pares sunt, præferuntur, vid. *Nolden. Cap. 12.*

Quædam denique consistunt in temperandis pœnis. Nobiles enim mitius puniendi, quam Ignobiles; Cruciatibus & torturis regulariter non sunt subjiciendi; in vinculis non sunt detinendi, nec damnandi ad Triremes, neque ignominiosissima laquei pœna plectendi, sed potius decapitandi, vid. *Nolden. cap. 15. & Knipschild. de Jur. Nobil. Lib. 2. cap. 4. per tot.* ubi latius hæc privilegia recensentur. Huc mos Gallorũ pertinet, qui Nobilitatem etiam exinde probare solent, quod forte unus ex Majoribus decapitatus fuerit ob crimen, ob quod alius fuisset suspensus.

SECTIO II.

EXHIBENS FUNDAMENTA CIVITATUM IN HAC LITE, EAQUE VINDICANS AB IMPUGNATIONIBUS NOBILIUM.

CIvitates Imperii præter Privilegia illa quæ ipsis cum Nobilitate immediata sunt communia, & infra recensentur, habent adhuc præcipua quædam fundamenta ac jura præ Nobilibus, ex quibus earum dignitas, Excellentia atque Prærogativa deduci potest. Et quidem insignis inter dictas partes intercedit differentia, quod

I. In majore dignitate sint constitutæ Civitates Imperii, quia Statuum numero comprehenduntur, quem charecterem Nobiles immediati sibi hodie saltem quoad actum secundum & ipsum exercitium, juris arrogare amplius nequeunt. Equidem non nego, vocabulum *Status* interdum late ac improprie in *Jure Publico* nostro accipi solere, ita, ut in causis & negotiis Imperialibus illi etiam Status appellentur, qui Imperio Romano immediate subjecti sunt, licet nec in matricula Imp. contineantur, nec in Comitiis Votum & Sessionem habeant; sed mihi jam sermo est de strictiori *Status* singnificatu, juxta quem illi solum Stände des Reichs dicuntur, qui ad Comitia vocati sessionem & Votum in iisdem habent, &, quibus una cum Imperatore de negotiis Imperii statuendi potestas competit. Explicat hæc Jura Statuum notissimus ille *articuli VIII. Pacis Osnabrugensis* §. 2, dum

ita

ita dicit: *Gaudeant sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones extruenda nomine publico, veterave firmanda præsidiis, nec non, ubi Pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali liberoq; omnium Imperii Statuum suffragio & consensu.* Ex hisce verbis exquisitis & ponderosis patet dignitas atque præeminentia Statuum, dum in consortium Regiminis admissi, alteram partem summæ potestatis pro indiviso obtinent, ita, ut, quoties displicent ordinibus, de quibus Imperator ad eos refert, statui ab eo contra eorum voluntatem nihil possit; ut igitur auctor des beständigen Gegen-Berichts der Kayserl. Reichs-Burg Fridberg recte dixerit, *quod præcipuus honor & dignitas sit, esse Statuum Imperii, & soli Imperatori, non inferiori statui subjectum esse, cap. 2. n. 14.* quod posterius quidem & Nobilibus competit; prius autem tantum Civitatibus, non Nobilibus. Sunt quidem nonnulli, qui hanc dignitatem Civitatibus Imperialibus denegari ausi sunt, concedentes, eas ad Comitia vocari, in iisque Sessionem & Votum habere solere; sed Votum, quod habent, tantum consultativum non decisivum esse contenderunt, quorum argumenta recenset *Knipschild in L. II. c. 2. de Juribus & Privil. Civit. Imp.* quæ vero omnia miseratione potius, quam refutatione digna sunt: Frustra enim ad Comitia vocarentur, si in illis votum non haberent decisivum; & absurdum esset, eos spectandi tantum causa venire, cum *Recessus Imp.* absque itinerum & pecuniæ sumtibus illis communicari possint. Præterea Civitates sub hac verborum formula ad Comitia vocantur: Daß sie mit und neben allen andern Ständen helffen handeln, rathschlagen und schliessen, quo quidem quid clarius & ad rei hujus probationem dilucidius proponi aut adduci possit, videre nequeo. Porro, si Recessus Imperii vim habent contractus, sicuti illud ex illorum principio & fine apparet: Und demnach haben wir uns mit Churfürsten und gemeinen Ständen nachfolgender Ordnung vereint, vertragen, und deßhalben mit und gegen einander in *Contract*-weiß verpflichtet, & Civitates Recessibus Imperialibus obligantur sub nomine & charactere Statuum Imperii per modum contractus, necessario quoque ad eosdem illarum consensus requiritur, cum in contractibus omnium, quorum interest, consensus intervenire debeat, *l. 1. §. Conventionis ff. de Pactis:* Totam vero hanc rem decidit §. 4. *artic. VIII. Pacis Osnabr.* ubi clara hæc verba extant: *Tam in universalibus vero, quam particularibus Diætis liberis Imp. Civitatibus non minus, quam ceteris Imp. statibus, competat Votum Decisivum &c.* Quæ decisio quam pluribus actibus confirmata fuit, ubi Civitates modo Electorum, modo Principum, inter sese dissidentium sententiis accesserunt, & majora conclusa effecerunt. Uti vero in Republ. libera civis

vis ille, qui publicis deliberationibus intervenit, & suffragii jus habet, potior & dignior est illo, qui a Reipubl. gubernatione remotus est: Quo pertinet notabilis ille locus *Aristotelis Pol. lib. 3. c. 1.* Πολίτης ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς: ita, cum civitates non solum tanquam Consiliarii, sed etiam tanquam Principales Comitiis intersint, ut de Summa Imperii deliberent & statuant, imo ratione modi votandi melioris sint conditionis, quam ipsi Comites & Prælati, quippequi non omnes & singuli votum in Collegio Principum habent, cum unicuique Civitatum proprium & peculiare Votum competat; quis non, si æquus judex esse velit, ipsis præ aliis, qui de hac potestate Majestatica nihil participant, præcedentiam tribueret? Jam vero, quod Nobiles immediati jure statuum non gaudeant, adeoque non concurrant ad jura illa Majest. exercenda, ex Imperatoris, Electorum & Statuum declaratione, imo ex propria illorum confessione patet, & infra amplius demonstrabitur. Neque illud me moratur, quod *Hippolytus* von Treyßpach *Quæst. II. p. 56. & Quæst. VI. p. 282.* ex eo indubitatum argumentum desumi posse, contendat, quod Nobiles immediati, cum olim ad Comitia vocati, in iis votum ac Sessionem habuerint, & Statibus Imperii annumerati sint, ergo & hodie pro talibus sint habendi, cum a præterito præsumatur ad præsens, *l. 5. §. 6. ff. de re milit.* & regulariter & generaliter omnia præsumuntur in eodem statu mansisse & esse, in quo ab initio fuerunt, vid. Treyß *n. 124. & 322.* putet fortassis quispiam, me invidia ductum jam ea negare velle, quæ tamen ipse in *parte Generali* pro fundamento posui, dum supra dixi, non habendam esse rationem præsentis, sed præteriti temporis: at verba sequentia ab hac suspicione apud omnes sinceros rerum æstimatores me plane liberabunt, notanter enim addidi: si scil. substantia ipsa dignitatis perpetua & immutabilis permaneat; quodsi vero illa mutata aut amissa fuerit, tunc etiam *jus Præcedentiæ* tanquam annexum novatum aut amissum censebitur. Ex eo igitur satis apparet, argumentationem a præterito ad præsens nullo stare firmo talo, uti hæc quoque probat, *l. 98. in princ. ff. de solut.* Illa, quæ ab *Hippolyto* proferuntur, respiciunt anteriora tempora, quibus Nobilitas adhuc Statum repræsentavit, hinc ad præsens parum faciunt; nam inter *Nunc* & *Tunc* in rebus Civilibus magna est differentia. Cum igitur Nobiles amiserint Votum & Sessionem, hodieque in publicis monumentis Statibus semper contra distinguantur, amiserunt quoque ea, quæ ei annexa fuere. Ipse quoque *Hippolytus* von Treyßpach, videns levitatem hujus argumenti, nolens volens demum *pagina eadem* supponit, Nobilitatem Statum non esse, sed ex hoc inferri posse negat, ideo Civitates Imperiales Nobilibus esse anteferendas, cum alias, si hoc procederet, etiam Rex Galliæ, Hispaniæ, Hungariæ &c. Civitatibus Imp. esset postponendus; quod assertum absurdum & ridiculum nemo sanæ mentis unquam defendere poterit. Verum, quam egregium Sophistam *Hippolytus* hic agat, ex eo

patet,

patet, quod Statum controversiæ occulte immutare, & talem, quæ Nobilibus immediatis tantum movetur, communem sibi cum Regibus facere tentet. Vera quæstio est hæc: Cuinam inter Civitates Imperiales & Nobilitatem Immediat. tanquam duo membra unius ejusdemque Imperii, si concurrunt, præcedentia debeatur, an Civitatibus an vero Nobilitati, illis ea debeatur, ideo asseritur, quia Civitates Imp. sunt membra, quæ juribus illis, quibus gaudet Nobilitas, etiam fruuntur, & insuper participant de jure aliquo summo Voti nempe dandi in deliberationibus publicis, quod Jus Nobilibus non competit: Nunc vero, quomodo ea, quæ de Regibus ab *Hippolyto* afferuntur, huc quadrent, me latet. Quod si vero tamen ad exteros argumentari velimus, nihil absonum erit, si exinde asseratur, quod, si Civitatum exterarum municipalium e. g. cum Civitatum Imperial. Deputatis concurrent, hi illis in tali concursu præferendi essent. Reliqua, quæ *Hippolytus* in favorem Nobilium ab illorum origine & stemmate profert, huc parum faciunt; nam hic quæstio vertitur inter Civitates & Nobiles, quatenus ut membra & Status Imperii considerantur, & Prærogativa nobilioris originis & familiæ, qua forte contra singulorum in Civitate libera conditionem pugnare possent, Universitati, quæ Status jura habet, & facultatem cum voto decisivo de Republica cum Cæsare & reliquis statuendi, præjudicium nullum facit.

II. Alterum argumentum in prioritate temporis fundatum non parum quoque pro Civitatibus militare videtur. De libertate & immunitate earum *Münsterus Cosmograph. c. 24. p. 456.* ita scribit: Cum post Caroli M. tempora Germania pedetentim magis excoli & habitari cœpisset, Imperatores creasse Principes, iisdemque totas in feudum concessisse provincias, sibi tantum & Imperio immediate reservasse insigniores & ampliores Civitates, quibus postea a subsequentibus Privilegia concessa amplissima, quorum efficacia deinceps dictæ liberæ non Imperiales, licet sub Imperio remanserint. Hinc de *Argentorato* inprimis legimus, quod nullo non tempore immediata & libera permanserit. Romani enim eam inter primarias esse voluerunt universæ Rheno vicinæ ditionis; sed postea tractu temporis tandem sub Francorum potestatem devenit; illorumque regno in Orientale & Occidentale diviso, Argentoratensis libertatis amantes Germanis accesserunt, & sub Imperatoribus Germanicis jure atque immunitate Regiorum Palatiorum gavisi sunt; nominatim quoque ac peculiariter hæc urbs a Ducum & Comitum jurisdictione excepta, adeoque a Ducatu Comitatibusque Alsatiæ segregata fuit; donec Sueviæ Ducibus in *Cunradino* extinctis Imperialium Civitatum numero vere pleneque fuit adscripta, vid. *Obrechti Prodr. c. 12. p. 294. seqq.* qui etiam Diploma *Ottonis II.* tanquam testimonium in eam rem irrefragabile citat. adde omnino *Schilter.* ad Königshovii Chronicon Alsat. Annotat. XII. Præterea cis Rhenum

inprimis antiquissimæ sunt urbes; partim enim in Rheni ripa, partim alibi conditæ fuerunt Civitates, quæ paulatim in magnitudinem insignem excreverunt; ita inter celeberrimas Germaniæ primæ urbes referuntur, civitas Nemetum, h. e. Spira, Civitas Vangionum, h. e. Wormatia. Potissima autem urbium Germanicarum Agrippina fuit, quod Romana Colonia esse meruisset, ut loquitur *Tacitus* unde Ammianus jam eam vocat *urbem magni nominis*, ut adeo eodem modo, nisi temporis ratio habenda esset, facile ostendere possem, adhuc alias Civitates ex singulari Regum & Imperatorum Germanicorum clementia ejusmodi immunitatibus imo libertate esse donatas; Egregie hæc demonstrat *Conring in Dissert. de Urbibus Germanicis §. 113. seqq. §. 120. seqq.* Ex quibus patet, urbes utique & Civitates libertatem suam & immedietatem ab antiquiori longe, ac Nobilitatem, tempore deducere posse. Ceterum, quamquam non firmiter neque exinde neque ex aliis historiarum argumentis colligere liceat, quo tempore liberæ Civitates Imp. jus Comitiorum acceperint, *Christophorus* tamen *Lehmann. L. IV. Chron. Spirens. c. 3.* probare conatur, jam *Seculo XII.* nonnullas Civitates ejus auctoritatis & dignitatis fuisse, ut Cæsares illas non minus ac reliquos Imperii Proceres ad Comitia vocaverint. Quicquid sit, hoc certissimum est, originem libertatis & potestatem iisdem occasionibus, quoad plerasque Civitates quidem, adscribendam esse, quibus Ducatus, Marchionatus, similesque dignitates successoriæ factæ sunt, adeoque præsumendum, Civitates, cum in iis jam tum temporis præcipuæ opes viresque Imperii continerentur, citius ad Comitia Imperialia accitas fuisse, quam Nobiles Francicos aut Suevicos, utpote qui potestati Ducum atque Comitum, quibus subjecti erant, paulatim atque tractu temporis sese exemisse creduntur.

III. Accedo jam ad argumentum tertium, in quo maximum Præsidium Civitatum Imp. positum est, quod sc. in Præcedentiarum controversiis illud debeamus attendere, quod vel Princeps speciatim disposuit, vel lex diserte definivit. Jam vero habemus legem fundamentalem non ab antiquis temporibus sed noviter latam, & ab Imperatore juramento confirmatam, quæ ita decidit, quod omnes ii, qui Votum & Sessionem in Comitiis habent, aliis sint anteferendi, etiamsi paris alias essent conditionis. Continetur illa *Capitulatione* Augustissimi *Imperatoris hodierni art. 3.* cujus verba ita se habent: Es sollen auch bey Kayserl. und Königl. Crönungen, und andern Reichs-Solennitäten denen Immediat Reichs-Grafen und Herren die im Reich Sessionem und Votum haben, vor anderen Auß- und Inländischen Grafen und Herren, wie auch Kayserl. Räthen und Cammer-Herren, und zwar gleich nach dem Fürsten-Stand vor allen andern, weilen sie im Reichs-Fürsten-Rath Votum und Sessionem hergebracht, deßwegen Ihnen auch billich, wie bey denen *Consultationibus, Oneribus* und Beschwerlichkeiten, also

auch

auch solchen *Actibus solemnibus*, die Stelle, und was deme anhanget, gelassen, und ebenmässig ausser solchen Reichs-*Festivitäten* am Kayserlichen Hof und aller Orten *observiret* werden. Agitur ibi de Præcedentia Comitum Immediatorum, quibus præ aliis exteris ac domesticis Comitibus, & Baronibus prærogativa ideo defertur, weilen sie im Reichs-Fürsten-Rath Sessionem & Votum hergebracht. *Capitulationes Leopoldina & Josephina* faciunt jam hujus rei mentionem, sed disparibus neque tam efficacibus verbis hæc res in prioribus Capitulationibus deciditur, quam in hodierna. In *art. V. Capit. Joseph.* enim legitur: und zwar gleich nach dem Fürsten-Stand in dessen Reichs-Rath sie erstgedachtes *Votum & Sessionem* hergebracht: hic autem expresse legitur, und zwar gleich nach dem Fürsten-Stand vor allen andern, weil sie im Reich *Votum & Sessionem* hergebracht. Quin & notabilis illa restrictio: am Kayserlichen Hof mit denenjenigen so nicht in würcklichen Kayserlichen Diensten begriffen, hic omissa & clausula ista substituta: am Kayserlichen Hof und aller Orten *observiret* werden. Imo hæc lex non solum ab Electoribus est præscripta, & ab Imperatore acceptata, sed & ab omnibus Statibus ratificata; nam, quamvis ante conditam isthanc *Caroli VI. Capitulationem* textui *Capitul. perpetuæ* hoc membrum nondum fuerit insertum, consensere tamen Status Imperii in universum, ut, quicquid in hac Carolina Comitum Immediatorum intuitu dispositum invenitur, sine ulla dimunitione etiam *Projecto*, (quod ita vocant,) *perpetuæ Capitulationis* adderetur, sicque adeo Illustrissimi Ordinis splendor & Prærogativa intuto collocaretur. vid. *Nitschianum Spicilegium Observat. ad Capitulat. Caroli VI. ad h. l.* Ex hac lege igitur, quæ ita sua luce nitescit, ut nulla ampliori declaratione indigeat, patet, quod exemplo horum Comitum omnibus illis, qui Votum in Diætis Imperialibus habent, tam in celebratione actuum Imperii solemnium, quam in aula Imperatoris, & *ubique locorum* Prærogativa competat præ omnibus aliis, etiamsi dignitatis aliâs sint haud minoris, qui hocce jure Comitiali non gaudent. Versamur hic in lege aliqua fundamentali, & in dispositione Imperatoris juramento confirmata, in qua nullum verbum otiose positum, aut sine virtute operandi esse præsumitur. Inprimis hic attendenda ratio, weilen sie im Reichs-Fürsten-Rath *Votum & Sessionem* hergebracht; ex quo apparet *fundamentum Præcedentiæ legale* in Imperio & Jure ejus Publico constitui in Sessione Comitiali; &, qui eam habet, fruitur quoque præ omnibus aliis jure sc. annexo Præcedentiæ; nam, ubi eadem ratio militat, ibi idem jus per *l. 32. ff. ad leg. Aquil.* Imo argumentum a contrario sensu hic est fortissimum, quod scil. omnes illi, qui suffragium in Comitiis non habent, neque Præcedentiam prætendere possint: cum prohibito principali, consequens quoque accessorium prohibeatur, quia accessorii subsistentia sine principali nulla est, *cap. accessorium de Reg. J. in 6.* Porro notanda veniunt illa verba: vor allen andern,

quæ non sine causa, sed animo deliberato adjecta sunt. Si tantum dictum fuisset, uti in *Josephina Capit.* gleich nach dem Fürsten-Stand ꝛc. aliquid adhuc excipi potuisset; jam vero, ut omnis ansa præscindatur exceptionibus, additur: vor allen andern, quæ verba hoc innuunt, quod a nullo unquam, sub quocunque prætextu, in Jure Præcedentiæ turbari possint ac debeant. Colligimus inde, quod, ad quemcunque pertinet Subjectum Principale & Fundamentale, Votum scilicet, & Suffragium Comitiale, eidem etiam ob identitatem rationis consequentia sint adjuncta, cum accessorium semper sequatur naturam sui principalis, per *l. 2. C. per quas person. nob. acquir.* Qui vero principale amisit, ille simul etiam amisit ea, quæ ipsi annexa fuerunt. Consequens enim sine antecedenti nullo modo esse potest, &, qui vult & petit consequens, in antecedenti debet esse fundatus. Nobilitas igitur Immediata, eum nullum votum amplius in Comitiis habeat, neque in iis admittatur, orbata hinc est jure annexo dignitatis scilicet & Præcedentiæ; Civitates vero Imperiales, dum se fundant in lege hac fundamentali, quæ difinitive & ita clare disponit, ut nullam dubitationem admittat, jus certum habent Præcedentiæ, illique tuto inhærere possunt. Quod si iterum votum recuperaret Nobilitas Immediata, & quidem ita, ut in Collegio Principum esset, tunc ratio dubitandi suppeteret, an simul etiam Præcedentiam accquireret; sed huic quidem recuperationi acriter se opponent, nec immerito, tum alii Status, tum inprimis Civitates. Interim, quamdiu in exercitio Voti sunt Civitates, ab eo autem exclusa Nobilitas, citra dubium illæ præcedent, quod nec negavit Vir Amplissimus, Consultissimusque, Dn. D. Joh. Henr. Feltzius in Diss. de Statu Nob. immed. S. R. J. (in qua tamen alias eam in certo sensu Statum adhuc Imp. esse, adstruit) sed imo eum huic sententiæ addictum esse, ex ore ejus percepi.

Venit jam IV. argumentum a Possessione vel quasi juris præcedendi desumtum, cui non ultimum locum deferendum esse, unusquisque facile videbit. Jam supra in parte Generali mentionem feci, quanti ponderis sit commodum possessionis, ut igitur non opus sit longiori eorum repetitione. Sufficit, quod, cum pro quovis possessore præsumatur, *l. 77. de R. V.* conf. *Menoch. VI. præs. 69.* Judex semper debeat manutenere possidentem; plus enim juris habet quolibet alio, eo ipso, quod possidet *l. 2. ff. uti possid.* imo in tantum inhærendum est possessioni, ut non obstantibus rationibus speciosis, in Petitorio adductis, nihilominus pro Possessore sit judicandum. Nunc, cum Civitates Imperii per ducentos & plures annos in possessione juris præcedendi sint constitutæ, ita, ut in Comitiis & Conventibus omnibus extra-Comitialibus immediatum post Comites & Barones locum occupaverint; quis adeo iniquus erit Judex, ut non facile Civitatum Præeminentiam perspiciat, cum possessio inprimis adeo longa ac continua instar privilegii &

tituli

tituli legitimi sit, pro qua sec. omnem Dd. sententiam in capite Præcedentiæ pronunciare oportet. *Riccius I. Decis. 132. & c. cum Ecclesia Sutrina X. de causa poss. & propriet.* Atque hæc ipsa possessio ex actibus potissimum possessoriis demonstranda venit, quorum exempla sufficientia prostant. Ita enim in *Conventu Correspondentium Norico*, cum Nobiles Immediati quoque comparerent, & exhibitis literis Credentialibus sessionem ante Civitates Imperiales peterent, Legati Civitatum ipsis cedere noluerunt, sed prætenderunt, ex antiqua possessione sua se non deturbandos, cui justo petito Summa Imperii Membra quoque assenserunt, ita ut præ Nobilibus primas obtinuerint sedes. Conventu Hailbronnæ 1633. habito idem ille ordo sedendi Civitatibus asservatus fuit. Apparet illud clarissime, aus dem unvorgreifflichem Gutachten über die von Ihr. Königl. Majest. zu Schweden, zur Deliberation ausgeschriebene drey Haupt-Puncten, der in Würtzburg des Fränckischen Crayses Stände und Ritterschafft anwesenden Gesandten und Abgeordneten, id quod *Londorpius* exhibet *in Tom. IV. Act. Publ. ad annum 1633. Cap. XXVII. p. 293.* ubi hæc verba leguntur: bey dem ersten Puncten nun, welcher gestalt eine vertrauliche Vereinigung mit der Cron Schweden und unter den Ständen selbst anzurichten, ist vor rathsam erachtet, daß ad exemplum anderer florirenden Provincien und Stände, ein Consilium Provinciale formatum, oder ein Crayß-Rath solle angeordnet und bestellet werden, dergestalt, daß von dem Fürsten-Stand ein Assessor, von dem Grafen-Stand der andere, von den Reichs-Ständen der dritte, von der Ritterschafft, welche neben andern Ständen in den Anlagen das Onus zugleich proportionabiliter zu tragen. der vierdte beygesetzt werden soll. Et, quanquam Nobiles in Conventu fœderatorio Francofurti anno sequenti instituto iterum præcedentiam urserint, cosramen Legatis Civitatum cessisse legimus, ita, ut ne quidem ad publicas consultationes admissi fuerint. *Hippolytus a* Treyßpach ad hæc quidem omnia *p. 283. n. 548. seq.* nonnulla regerit, dicens, se negare non posse, Civitates proximum locum post Comites & Barones occupasse; at contendit, hanc possessionem non posse præjudicium afferre ullum Nobilitati Immediatæ, utpote cui liberum erat, comparere vel non comparere; alias enim ipsa intermedium locum tenuisset, & mox post Barones & Comites Votum dedisset. Sed nihil hæc faciunt ad rem; communiter enim tradunt omnes Doctores nostri, per lapsum etiam longi, nedum longissimi, temporis aut immemorialis, juncta actuum frequentia, consuetudinem firmam induci, quæ noceat & præjudicet etiam absentibus, *Schrader. Cons. 14. n. 170.* Sibi ergo soli imputet Nobilitas Immediata, quod ab initio passa sit, ut Civitates Imperii immediate post Comites & Barones sint secutæ, atque hoc jus per longam possessionem ita proprium sibi reddiderint, ut legitimo modo in hac possessione nunc non turbari, multo minus ex ea dejici amplius possint.

Objicit porro *Hippolytus*, quod, cum jam triplex Statuum ordo sit, quorum primus Electores, secundus Principes, Comites, & Barones, tertius denique Civitates Imp. Liberas complectatur, Nobilesque immediati semper secundo annumerati fuerint, nullum exinde Civitatibus enasci præjudicium, quia non peculiarem Ordinem erigere, aut in Civitatum Collegium sese intrudere cupiunt, sed tantum in Principum Senatum jure postliminii restitui volunt. At, unde Antagonista meus probare poterit, Nobiles unquam locum in Collegio Principum occupasse? Divisio hæc in tria Collegia, si conjecturam facere licet, demum sub Friderico III. uti *Arumæus* docte *cap. V. in princ. de Comitiis* notavit, usurpari cœpta est; ante illa autem tempora omnes Status, generali quodam edicto vocati, in uno Senatu conveniebant. Cum vero anno 1459. Electores primitus secessionem a reliquis Principibus fecissent, Senatumque proprium constituissent; subsequentibus demum temporibus triplex ortus est Statuum ordo. Jam vero ex relectione *Recessuum* manifeste apparet, Nobiles Immediatos post novam illam introductam faciem Comitiorum, & in primis a *Maximiliani I.* tempore non amplius ad Comitia venisse, unde neque Principum Collegio aggregati esse potuerunt. Imo in Comitiis *Ratisbonæ 1471. & Augustæ 1474. & Francofurti 1486. & Norimbergæ 1487. a Friderico* Imperatore indictis nulla Nobilium, sed tantum Electorum, Principum, Comitum, Baronum & Civitatum fit mentio; &, cum *anno 1500.* de auxiliis contra Turcas in Comitiis Augustanis actum esset, Recessui insertum legitur, daß man mit den Ritterschafften zu Francken, Schwaben, & Rheinland handeln soll. Hinc igitur manifestum, Nobiles nullum unquam locum in Principum Collegio occupasse, & certe, quemadmodum, si noviter in Collegium Principum assumitur Status aliquis, contentus esse debet, si ultimus ipsi assignetur locus; ita, si unquam Nobilitas Immed. ad Comitia in posterum admitteretur, & in numerum Votantium recideretur, ut post Civitates Imperii quoque collocaretur, summi juris æquitatisque ratio exigeret.

Quod vero ad ipsos actus Possessorios attinet, ostendere quidem conatur *Hippolytus*, Nobiles semper protestatos fuisse, suumque sibi Jus reservasse; sed primo illud exinde sequitur ad minimum, quod Nobilitas Immediata non semper fuerit in quieta possessione, quod ipsum tamen *pag. 284. num. 548.* affirmare ausus est, his verbis: Dahingegen aber in decidendi rationibus mit unterschiedlichen Præjudiciis & actibus possessoriis ausgeführet, auch noch weiter, wo nöthig, beygebracht werden könnte, daß je und allewege wenn diese beyde Ritterschaft und Reichs-Städte zugegen gewesen, die Freye Reichs-Ritterschafft allenthalben die Præcedenz und Vorzug vor den Reichs-Städten gehabt, und also in unstrittiger possession vel quasi biß daher begriffen und noch sind &c.

Secundo

Secundo, si protestatione qualitercunque comparata jus Protestantis salvum & illæsum conservaretur, nullus esset litium finis, & concesso quoque, quod Protestationes infirment alterius prætensiones, tamen Nobiles actu contrario, dum scil. Civitatibus cesserunt, pro consentientibus haberi debent, siquidem is, qui post interpositam protestationem facit actum ei contrarium, ab ea recessisse existimandus est; *Cravett. Cons. 463. n. 18.* At dicit Antagonista, quicquid factum, pacis causa factum fuit, denn ob ich etwas Friedens halb, und die Consilia zu befördern, nachgegeben, sed responsio facilis est, quod nemo suum jactare præsumatur, præsertim in rebus tanti momenti. Instar porro, hanc Civitatum Prærogativam in Comitiis tantum Protestantium sive Evangelicorum Particularibus fuisse admissam, quæ vim publici Imperii Conventus non habent, atque adeo Nobilibus præjudicare non possunt; sed unusquisque facile videt, non esse probabile, Nobiles Protestantes cessuros fuisse, nisi jus Civitatum agnovissent. Neque illud ad rem aliquid facit, quod hi Conventus non universales sed particulares quorundam tantum Ordinum Evangelicorum fuerint; a Conventibus enim Particularibus non inepte concludi potest ad Comitia Universalia. Illud vero, quod ultimo loco affert, quod Judicium scilicet Ordinum Evangelicorum hic ideo non sit attendendum, quod non coram Ordinibus Imperii sed coram Tribunali Imperatoris solum, controversiæ Sessionum sint discutiendæ, meram sapit injustitiam. Nam, etiamsi concederem, neminem nisi Imperatorem hanc decisionem sibi vindicare posse, cur Antagonista *pag.* sequenti 287. Attestatum *Landgravii Wilhelmi Hassiaci, & Marchionis Badensis* tanquam munimentum quoddam producit, in quo a dictis Principibus, Nobilibus cautum est, quod omnia, quæ in Conventibus Francofurtensibus acta sunt, ipsis nullo præjudicio aut damno sint futura? Primo hic excipi posset, hoc Attestatum studio partium esse confectum: deinde Principes Hassum & Badensem illud non nomine ceterorum Ordinum Francofurti congregatorum, sed proprio motu dedisse, ut adeo vel exinde Attestatum, quod in re, quæ ipsis vel plane non, uti antea *Hippolytus* statuit, vel saltem non solis competebat, dederunt, nullius ponderis sit habendum. At liberalis ero, & concedam, per hanc attestationem juribus Nobilitatis Immed. optime esse prospectum, cur igitur vim omnem sententiæ Ordinum Evangelicorum Ulmæ, & Francofurti in hac Controversia latæ derogare vult? Hoc enim quisque in alio recte esse existimare debet, quod ipse sibi jus dici velit, & ipsa æquitas postulat, ut, quod quisque juris in alium statuit, is eo ipso etiam erga se uti patiatur; vid. *tot. tit. ff. quod quisque jur. in al. stat. lex ult. C. de fruct. & lit. expens.* Viderat hanc argumentorum pro Civitatibus firmitatem acerrimas alias Nobilitatis jurium propugnator *Noldenus*, atque hinc expresse dicit *Cap. 9. n. 376. in Principum Conventu, ubi Civitates Imperia-*

les

les & Nobiles immediati simul comparent, Civitates Nobilibus circa Jus πρωτοδρίας præferuntur. Et *Franckenberg* in seinem *Europæi*schen Herold ita scribit: Mit denen Reichs-Städten haben Sie der Præcedence halber langezeit-her Streitigkeit gehabt, und haben so viel die Possession betrifft, die Edeln und Ehrbaren freyen Reichs-Städte den Vorzug behalten, daher immittelst bey Correspondenz Tagen, und der Friedens-Handlung zu Münster und Oßnabrüg die Ritterschafft per Deputatos handeln und sich der Sessionen und Raths-Gänge enthalten müssen ꝛc. Imo ipse meus Antagonista in *Quæstione IV.* ubi agitur, an e re Nobilitatis Immed. sit, ut iterum ad Sessionem & Vota Comitialia admittatur, *n. 352.* fateri coactus est, Civitates nunquam Nobilibus esse cessuras. Es ist jedoch zu besorgen, es möchten die Ehrbahren, Frey- und Reichs-Städte, und das gesamte Städtische Collegium wegen der Præcedenz und Vorsitz halber sich starck dawider legen, und mit ihren Gegen-Einwendungen das Werck schwer machen, wie man denn solches bey obangezogenen Nürnbergischen, Haylbronnischen, und Franckfurtischen Zusammenkünfften im Werck mit mehreren verspühret und erfahren. Weilen es nun mühsahm und schwer daher gehen möchte, wenn der freyen Reichs-Ritterschafft in ihren Begehren willfahret, und sie zu denen gemeinen Reichs-Sessionen und Stimmen zugelassen werden sollten, so will rathsamer seyn, dis Suchen einzustellen, und alles in itzigem Stand zu lassen. Sed ponamus quoque, Civitatum Jura adhuc in dubium vocari posse; quamquam, si nulla alia pro illis militarent argumenta, hæc ipsa Possessio sufficientem faciat præsumtionem: cum semper jure & nomine proprio potius, quam alieno, possidere quis credatur. *Menoch. Cons. 395. num. 8.* Exinde insigne tamen habent Privilegium & commodum Civitates, quod in Possessorio sint superiores & ab onere probandi liberentur. Quare etiam hoc nomine prægnantissimum semper Civitatibus restat argumentum, quia, dum impugnans possessionem ea allegat, quæ Jus & merita concernunt, possessor semper manutenendus est, *Natta Cons. 121. n. 95.* &, quod interea temporis, dum Imperator de hisce Controversiis cognoscit, merito quilibet in possessione Sessionis vel quasi tuendus sit, expresse habetur in *Rec. Imperii Spirensi de anno 1570. §. 164.* Aber inmittelst, soll ein jeder bey seiner possession vel quasi, wie die hergebracht, gelassen seyn ꝛc. Manebit ergo hoc argumentum Civitatibus omni loco atque tempore sartum ac intactum, donec in Petitorio cadant; quod vero nunquam fiet, cum præter Possessorium sufficientibus rationibus sint instructæ, ut de victoria nihil habeant, quod timeant.

Sed

Sed properandum ad Quintum. Argumentum, quod in Præscriptione fundatur, magnamque cum priori habet connexionem. Ipse *Hippolytus* maximam vim huic præscriptioni attribuit, dum privilegium illud, in quo Nobiles se fundant, ut in Comitiis comparere non teneantur, præscriptione immemoriali acquisitum esse contendit. Et certe, operatur Præscriptio idem, quod Constitutum, Lex, Privilegium, & Concessio Imperatoria legitime acquisita *Sixtin. Cons. 9.* Hinc videmus, vim Præscriptionis immemorialis tantam esse, ut neque Ecclesiæ, quarum alias maximus est favor, contra eam restitui possint, *L. ult. C. de fund. patrim.* quare & *Rol. a Valle Cons. 59. num. 6. vol. 4.* & *Natta Cons. 222. n. 2.* bene annotarunt, quod Jura alias non præscriptibilia isto temporis suffragio acquirantur & amittantur. Hoc igitur Privilegio Præscriptionis cum Civitates Imperii jam a fine Seculi XV. usque ad hodiernum diem gaudeant, ita, ut semper exclusa a Comitiis Nobilitate, post Comites & Barones locum immediate obtinuerint, quis non Illarum præcedentiam optime fundatam esse videt? cum hæc uti supra ostendi, legale sit consequens Voti Comitialis. Non enim solum hoc ipsum tempus immemoriale statim ex parte Civitatum cum possessione est inchoatum, sed & confirmatum fuit per scientiam & patientiam Nobilium, qui neque contradixisse leguntur. Imo agnoverunt ipsi potius Nobiles, hoc Jus sibi a Civitatibus præscriptum esse, dum Restitutionem anno 1686. quovis modo sollicitarunt: nam, qui restitui cupit, ille hoc ipso fatetur, se jus suum prius amisisse. Neque vero hanc restitutionem Equestris Ordo eo, quo par erat, modo ambivit. Non ad Comitia Imperii publica, ubi res decidi debuerat, & ubi jura Ipsis æque administrata fuissent, rem illam detulerunt; Cæsar ab Ipsis imploratus, quæsita apud Moguntinum Electorem intercessio, res per cuniculos, non manifeste tractata; evidenti prorsus indicio, desperasse tum ipsos Nobiles de obtinenda in Comitiis, qualem quæsiverant, sententia. Sed nec ipse Cæsar, qui alias in ipsos propensissimus, nec reliqui, qui non minus ipsis favere credebantur, ex Ecclesiastico præsertim Ordine Status, ipsorum petito tunc satisfacere potuerunt, quia, perspecta causæ Nobilium imbecillitate, postulato huic repulsam dare cogebantur. Objicis fortasse, repulsam hanc non ex Comitiali Imperii Decreto tulisse Nobiles, adeoque eam contra ipsos parum facere: verum illud quidem non nego, auctoritatem Comitiorum hic non intercessisse, quamquam Singuli Status de hisce moliminibus cognitionem habuerint; at prudentiæ Nobilium adscripseris, quod non intercesserit. Quod si enim res ad istud Forum esset delata, sine dubio petitum illorum fuisset statim rejectum, quod ex Cæsaris, reliquorumque Nobilitatis Fautorum consiliis patet, qui scilicet dissuaserunt, ne res ad Comitia deferatur, ut honori Nobilium prospiceretur, qui lata ista publica re-

pulsa, haud parum fuisset labefactatus. Ipsi etiam Nobiles post illud tempus ita acquieverunt, ut nullam post hac litem amplius Civitatibus moverint. Unde egregium iterum nobis oritur Præscriptionis contra Nobiles argumentum, qui inde ab illo tempore nihil novæ protestationis injecerunt, atque adeo, a petito suo desistentes, præscriptioni cuidam de novo locum dedisse merito censentur. Qui enim juribus sibi competentibus uti, & ea exercere prohibitus est, & acquievit, sibi ipsi præjudicat &c.

Opponit quidem *Hippolytus*, hanc præscriptionem Nobilitati Immediatæ non posse esse noxiam, quia tanquam res meræ facultatis in illorum arbitrio positum erat, ad Comitia venire vel non; quod autem emanserit, factum esse ex certis rationibus, ac demum ita concludit, quod tantum, & non plus præscriptum intelligatur, quantum in specie possessum reperitur, *l. 18. §. 4. ff. de acquir. possess.* Verum opponi hic posset, Jus Voti ac Sessionis in Comitiis ex eorum jurium numero esse, quæ regulariter obligationem habent conjunctam, adeoque in censum rerum meræ facultatis venire non posse; sed silentio hæc involvens, id tantum dico, quod si hæc argumentandi ratio procederet? liberum erat jure aliquo uti, vel non uti, ergo jus illud non potest præscribi, quæ quæso & quomodo unquam locum habere poterit præscriptio? Imo ad omnem præscriptionem valide incipiendam requiritur, ut ille, contra quem præscribitur, liberam habeat voluntatem jure suo utendi, nec coactæ desinat illo gaudere. Tunc ergo Nobilitas Immediata haberet, quod contra præscriptionem adduceret, si probari posset: eam inique & vi a Comitiis injuste fuisse exclusam, & per consequens Civitates Imperii injusto quoque modo proximum post Principum Collegium occupasse & hucusque retinuisse locum. Jam vero sese ipsam accuset, quod emanserit, & Civitatibus non contradixerit, quæ jam & quoad Sessionem & quoad Præcedentiam præter immemoriale illud tempus, per ultimam quoque præscriptionem ab anno 1686. usque ad nostra tempora novum jus sibi acquisiverunt, ut nullo modo illud adimi ipsis queat. Quod ad textus ex Jure Civili allegatos attinet, eos pro mea potius, quam pro contraria sententia stabilienda facere, inde patet, quia dicunt, *tantum præscribi, quantum possessum fuit.* Atqui Nobiles negare non poterunt, Sessionem immediatam post Comites atque Barones fuisse possessam a Civitatibus, & quidem per aliquot jam Secula; quid aliud ergo sequitur, quam, quod hic ipse ordo sedendi & suffragium ferendi post Comites & Barones fuerit præscriptus?

Argumentum VI. a Re Judicata petitum quoque pro Civitatibus magis, quam pro Nobilibus, militat. Primo enim illud dici potest, quod, si non extet sententia quædam definitiva in favorem Civitatum lata, tamen nulla contra eas produci possit, quod ultimum tamen de Nobilibus affirmari haud posse

videtur. Contraria enim est 1.) Sententia Ordinum Protestantium, quam supra allegavimus, ubi dicti Ordines, perpensis utriusque partis rationibus in Conventu Correspondentium Norimbergæ, anno 1619. habito, Legatis Civitatum præ Legatis Nobilium prærogativam tribuerunt, quam postea etiam repetitis vicibus in Conventibus pluribus Francofurti habitis obtinuerunt. Nunc lubenter quidem, ut supra, agnosco, Conventus hosce fuisse particulares, in quibus non omnes Electores, Principes ceterique Status congregati fuerunt: at illud tamen Antagonista meus mihi quoque largiatur, necesse est, ex eo clarissime apparere, semper & quovis tempore ex Imperii Ordinibus nonnullos fuisse, qui pro Civitatibus Imperii publice deciderunt; e contrario nunquam, quantum ego quidem scio, a Nobilitate ostendi poterit, vel semel tantum pro ea publice pronunciatum fuisse. Ubi enim Illa in Conventibus particularibus præcessit, qualia exempla quædam *Hippolytus* adducit; ibi Jus Prærogativæ sibi proprio motu arrogavit potius, quam quod per sententiam aliorum Statuum simul comparentium obtinuerit. Neque exinde hæc Ordinum Correspondentium sententia in totum est rejicienda, quia decisio Præcedentiæ soli Imperatori competit; nam, quamquam non negem Tribunal, coram quo ordinarie controversiæ Sessionum inter Status Imperii sunt decidendæ, esse aulam Imperatoris; sunt tamen nonnulli Doctores inter quos præcipuus *Limnæus T. I. de Jure Publ. L. II. c. 9. n. 92.* qui hanc dijudicandi de Sessione potestatem non soli Imperatori adscribunt, propter verba, quæ habentur in *Recessu Imperii* zu Augspurg *de Anno 1500. sub Tit.* Wie die Irrung der Session zwischen den Fürsten hingeleget werden soll durch das Regiment, §. Weiter nachdem ꝛc. ibi: die Wir den jenigen, die es betrifft, fürter zusenden, ihr Antwort darinn vernehmen, und alsdann solche Schrifften und Antwort unsern Churfürsten zuschicken, ihren Rath darinn hören, und darnach solch Schrifft und Antwort auch mit dem gemeldten unsern und des Reichs Regenten besichtigen ꝛc. & sæpe Imperatorem cum Statuum consensu id fecisse, constat *ex Imperii Recessu de An. 1603. Ratisponæ habito §. 66.* Erklären wir uns abermahlen, daß wir zu Folge unsers bey unterschiedlichen Reichs-Tägen, als im Jahr 76. 82. 94. und 98. gethanen Erbietens, nach complirten Actis, samt etlichen auß Mittel des Heil. Reichs Churfürsten, Fürsten und Ständen Räthe, darzu deputirten Persohnen, und das jenige was hierunter von den Partheyen einbracht, einkommen, so förderlich es möglich referiren, und alsdann, was Recht seyn würde, erkennen und außsprechen wollen ꝛc. Huc pertinet, quod Ferdinandus Cæsar in Comitiis Augustæ Vindelicorum 1559. habitis Statibus Imperii promisit, fore, ut Commissarii constituerentur, qui amicabilem compositionem litium tentarent, quod si id fieri non posset, se assumtis

Electoribus & Principibus, qui nullum interesse quoad lites Sessionum haberent, perceptis utriusque partis juribus pronunciaturum, vid. *Recess. Imp.* zu Augspurg *de Anno 1559.* §. als sich denn auch bißhero ibi: Im fall aber, sie darinn allerseits gütlig nicht vertragen werden möchten, wollen wir alsdann auff nächst-künfftiger Reichs-Versamlung, etliche der Sachen unverwandte Chur-Fürsten und Stände zu uns ziehen, und samt denselbigen nach gnugsamer Vernehmung jedes Theils habenden Gerechtigkeiten, in Sachen endlichen rechtlichen Außspruch und Erkäntniß thun ꝛc. Apparet exinde, Cæsarem quidem competentem harum Controversiarum Judicem esse; sed testantur tamen modo allegati *Recessus*, interdum etiam Electores, Principes, aliosque in Consilium admitti, qui cum Cæsare has Sessionum lites componant; ut adeo sententia Ordinum Correspondentium Protestantium non tam parvi sit æstimanda. Sed mitto hæc, & 2.) ad Nobilitatem Alsatiæ Inferioris me converto, utpote quæ *Anno 1615. d. 28. Febr.* per sententiam definitivam Civitati Argentinensi, cum adhuc Imperialis esset, cedere coacta fuit, quæ res judicata legitimum Præcedentiæ titulum Civitatibus omnino tribuit. Regerit quidem *Hippolytus p. 288. seqq.* hoc factum toti Nobilitati Immediatæ ideo nocere non posse; quia res est inter alios acta, Nobilesque Alsatiæ separatum a reliquis Nobilibus Immediatis corpus constituunt; deinde, quia magna Nobilium pars Magistratui Argentinensi subjecta est; sed hæ rationes facili modo explodi atque refutari poterunt. Nam primo, quod res acta inter personas, eandem causam, idemque jus agendi habentes, plenissime probet, testantur omnes JCti; vid. *Riminald. Cons. 628. n. 27. Schrader. Cons. 1. num. 376. Decian. Volum. I. resp. 55. n. 33.* conf. *Menoch. Cons. 1. n. 206.* Jam quidem inficias ire nolo, Nobiles Inferioris Alsatiæ a longo jam tempore neque sub Suevica, neque sub Franconica, neque sub Rhenana Nobilitate comprehensos fuisse; illos tamen non minus partem specialem totius Nobilitatis Immediatæ S. R. Imp. facere, ac omnibus juribus frui, quibus reliqua corpora, eo certius assero, quo evidentius hoc ex Diplomate des Ritterlichen Ordens-Prædicats-Erhöhung *a Ferdinando III. Imperatore Anno 1654.* concesso apparet, ubi hæc verba occurrunt: des Reichs Freyen Ritterschafften der Crayſen, Viertel, Ritter-Ort und Bezircken im Land zu Schwaben, Francken, Rhein-Strohm, und des Bezircks im Untern Elsaß. Nunc, si una Nobilitatis Immediaæt pars, quæ origine antiquissima, ac nobilitatis genere æque bene gaudet & gloriari potest, ac Franconici, Suevici, vel Rhenani Nobiles, Argentoratensi Civitati præcedentiam in tantum non dubiam reddere poterat, ut potius per sententiam definitivam a *Camera Imperiali* ipsi injunctum fuerit, Argentoratensi Civitati cedere, reliquæ certe Partes prærogativam eo usque prætendere non poterunt, donec clarissime

olten-

ostendant, quænam ipsis præ Nobilitate Alsatiæ Infer. prærogativa competat, eamque tantam esse, ut eo jure, quo, ut ipse Treyßpach fateri cogitur, Nobilitas Alsatica Civitati Imperiali locum cessit, non teneantur. Quod si Archiva singularum Civitatum Imp. perlustrare, atque Acta inter eas & Nobiles penitius inspicere liceret; ex iisdem sine dubio innotesceret, Nobilitatem Immediatam in eodem districtu vel Circulo, ac Civitates, sitam, Civitatibus sæpius postpositam fuisse, ita ut quemadmodum Civitas Argentoratensis in Alsatia præferebatur Nobilibus Immed. Alsaticis, sic quoque Civitates immediatæ in Franconia, Suevia, Nobiles immediatos Franconicos atque Suevicos anteirent. Verum quidem est, Nobiles Judicato *Cameræ Spirensi* non acquievisse, causamque ad Cæsarem pertulisse; sed, & hoc verum est, Cæsarem, utpote qui jam præviderat, se aut justitiæ aut prætensioni Nobilium per Imperiale aliquod decisum contravenire debere, noluisse hanc litem sententia sua definire, sed rem sorti atque alternationi, salvo tamen cujuscunque jure, commisisse, ut neutri displiceret parti. Objicit etiam Treyßpach, sententiam in Camera latam, in judicio ex lege diffamari esse tantum interlocutoriam; verum, quod sententia absolutoria ab instantia vel observatione judicii hic vim definitivæ habeat, probat, qui ex professo in *l. diffamari* commentarium consignavit, *Bartholom. Blarerus cap. IX. n. 44.*

Ad alteram, quam tradit *Hippolytus*, rationem respondeo, eam eo minus habere ponderis, quo clarius demonstrari poterit, minimam tantum Nobilium partem Argentorati degere, & inter hos paucos esse, qui juribus Civitatis fruuntur. Si ergo a potiori, uti hoc ipsum argumentum Treyßpach urget, est desumenda denominatio: Nobiles certe Alsatiæ ideo Civitatibus Alsaticis cedere non cogebantur, quia pauci eorum Civium sese adscripserant numero. Res enim inter alios acta; sunt ipsissima *Hippolyti* a Treyßpach verba; aliis neque prodesse neque obesse, & factum cuique suum, non aliis, nocere debet; vid. *p. 162. n. 292.* Verum instat Antagonista noster ulterius, atque ex eo, quod Nobiles Alsat. Infer. in urbibus degant, probare conatur, hos ipsos non ejus esse conditionis ac dignitatis, cujus sunt Nobiles Franconici, & Suevici &c. ac per consequens nihil inde accedere juris & præeminentiæ Civitatibus Imperialibus, quod Nobiles quidam in Civium se referri passi sunt numerum. Sed liceat cum pace adversarii publice asserere, eos, qui Nobiles Alsatos in rure viventes melioris ac nobilioris conditionis esse, ac Nobiles in Urbibus degentes, quia illi sunt Immediati, hi Mediati, in crassissimo versari errore, quem evitassent, si curatius jura & privilegia Alsaticæ Nobilitatis inspicere voluissent. Habent enim domicilium suum Argentinæ plures ex Illustri & Generosissima Nobilitatis Stirpe oriundi, qui si non meliori, pari tamen passu cum Nobilibus aliis

Immediatis ambulant, de quorum Immedietate eo minus dubitare licet, quo plura hanc in rem nuper demum typis impressa sunt Diplomata a variis Imperatoribus impetrata. Nec video, quid immediati illorum detrahere possit, quod quædam familiæ Magistratus officio in Civitate Argentinensi & olim functæ fuerint, & adhuc fungantur, quidque responderi possit ad quæstionem: an Nobiles Immediati, penes quos ante annum 1332. Summa Imperii in Civitate Argentoratensi erat, reliquis Nobilibus Immediatis, qui hac Magistratus potestate ac dignitate non gaudebant, sed in pagis rusticis suis tantum imperabant, postponi debuissent an præponi? Certe prius affirmare velle, ridiculum plane esset, atque omni rationi contrarium. Sicuti ergo nec antiquitati, nec splendori generis vel natalium obest, membrum esse inprimis imperans, sive caput coimperans Civitatis Imperialis; ita nec Immedietati aliquid decedit, si quis munus Magistratus in illa obit. Sicuti neque illud obest immedietati, si quis in ministerio nobili (als Page) alicujus Principis sit constitutus, aut officio alicui aulico præsit, aut obligatione Vasallatica sit adstrictus Statui; differunt enim die Huldigungs-Pflicht, sive vinculum subjectionis, qua obsequium ac fidem Domino subditi debent; die Lehens-Pflicht, sive vinculum vasallagii, quo propter rem feudalem vasallus Domino feudi ad fidem, non item ad obsequium ita generale, ut subditus, adstringitur; & die Ambts-Pflicht, sive vinculum Officialium, quo, quibus a Principe munus quoddam commissum, aut a civibus in Civitate Imperii delatum, ei sunt devincti, vid. Consultissimi Dn. D. Feltzii *Dissert. I. de Statu Nobilitatis Immediatæ. p. 7. seq.*

VII. Illud quoque Prærogativæ caput, quod majorem Jurisdictionem attinet, si examinare lubet, eo minus in eo difficultatis reperiemus, quo certius est, & supra jam dictum, Civitates esse Status, *Votumque in Comitis Decisivum* exercere, ut exinde merito nomine *Coimperantium* censendæ veniant, qui, sicut in aliis juribus Majestatis exercendis, ita etiam in *Jurisdictione* cum Imperatore concurrunt. Qui enim, uti de aliis rebus, ita etiam de litibus inter Status e. g. occasione interpretationis Pacis Westphalicæ &c. intervenientibus cum aliis consultat, & decernit, eum revera possumus appellare Civem *Coimperantem*, & ut publicæ administrationis in universum, ita etiam *Jurisdictionis* participem. Jam vero, quem fugit, Civitates ob dictam modo Pacem Westphalicam ad deliberationes publicas, uti circa alia, ita inprimis circa *Jurisdictionem ordinandam* suam conferre partem, ita, ut, si de Visitatione Cameræ e. gr. quæ Jurisdictionem nomine Imperatoris & Imperii exercet, agitur; sine eorum consensu nihil concludi debeat. Manifesto hoc probat nuperum Visitationis Cameræ exemplum, ubi Visitatores repræsentarunt non

non tantum Electorum Principumque, sed & Civitatum Imperialium Legati: Unde patet, eas etiam ad defectus Judiciorum Supremorum corrigendos suo suffragio debere concurrere. Sed & in particularibus Conventibus una cum reliquis Statibus conveniunt, & in negotiis Publicis non tantum, verum etiam ubi controversiæ occurrunt, quæ tales Conventus e. gr. Circulares pro foro competente agnoscunt, in decidendo eodem cum reliquis Ordinibus jure concurrunt. Apparet hinc, Civitates de æquali illa potestate, quam Doctores vulgo Statibus cum Imperatore in Comitiis competere, docent, quoque participare, & nomine ipsarum haud minus, quam reliquorum Statuum Imperii, summam in Imperio Jurisdictionem exerceri, adeoque ratione *Jurisdictionis* etiam Civitates Nobilibus præferri. Id quod & inde porro patet, quod inter Civitates Imperiales reperiantur exemplo Argentorati, quæ *Judicium Camerale Delegatum* habet, ad quod, si summa sit appellabilis, ita, ut lis deferri posset ad Cameram ipsam, solet provocari. Ut adeo, cum ab Imperatore in sollicitudinem Imperii sint assumptæ, συναρχόντων nomine veniant, & suffragio suo ad deliberationes & decisiones, uti circa alia, ita etiam circa Jurisdictionem non parum in magno illo corpore, quod Germaniæ fata circumagit, momenti afferant. Hinc appellantur Fulcra & Columnæ Imperii Säulen und Stützen des H. R. Reichs. *Petrus de Andlo de Roman. Imper. L. I. cap. 16.* quodque non minima sint pars roboris S. R. Imperii testatur ipse Imperator Sigismundus in der Geistlichen Reformation de Anno 1436. quæ extat apud *Goldast. Tom. I. Constit. Imperial. fol. 170.* ubi in procemio ita dicit: Darum seind ermahnet deß ersten all ihr edlen Reichs-Städte, wenn das Haupt ist kranck, die Geistlichen und Weltlichen Häupter lassen fallen, was ihm von GOtt empfohlen ist; und wenn man es recht ansieht, so stehet es nur an den Reichs-Stätten, wenn die schlieffen und nicht wachten, so wäre die Christenheit GOttes, und aller seiner Gnaden entfremdet, und wär alles Recht thun GOtt unmär, wenn Göttliche Ordnung erloschen steht. Darumb niemand zu ermahnen ist, denn allein die Reichs-Städt, die höchsten Häupter sind nicht zu ermahnen, denn sie haben das Unrecht inn mit Gewalt. Unser Herr der Kayser oder König, mögen ihren Staat nicht mehr behalten: der Hochwürdige Staat ist abgezogen dem Reich von den Fürsten, und daß unser Reich kranck, blöd, und schwach ist. Darum ihr Edlen Reichs-Städte seind ermahnet bey GOTT dem Vatter, bey JESU Christo, bey seinem Rosin-farben Blut, das er für uns vergossen hat, daß ihr ansehent, wie wir von GOtt gefreyet seyn, wie wir unß halten sollen, wie alle Ordnung kein Gliedmaß hat, die Recht sey. Thut darzu, als die ihr das oberst Glied seyd, auff die in dieser Zeit die Christenheit wohl gebauet ist.

ist. Jam vero, si Nobiles considerare velimus, eos nihil hac de re participare, intelligimus. Qua ratione enim illos Coimperantes appellare possumus? quorum toto tempore administrationis Reipublicæ nulla habetur ratio, qui ad nulla Comitia vocantur, qui nullam de rebus ad Reipublicæ statum pertinentibus sententiam dicunt, qui ab omnibus Conventibus excluduntur, imo nec certiores interdum earum rerum fieri debent, quas gerendas atque exequendas Imperator & Ordines in Consilio decreverunt. Certe eum cœcum aut invidia ductum esse, omnes rerum sinceri æstimatores judicabunt, qui non agnoscat, præstantiorem hinc quoque esse Civitatum Imperii præ Nobilibus sortem.

VIII. Atque hæc omnia adhuc magis corroborantur, si sequens axioma Prærogativæ de Cohærentia cum supremo Imperii Capite jungamus: nam, uti prius potestatis, sic hoc honoris Civitatum maximum est indicium. Sunt enim Civitates, tanquam Status, Consiliarii Imperatoris & Imperii, nec nudi tantum sunt Consiliarii, sed simul suffragium ferentes, quique tanto majorem intimioremque cum Cæsare, omnibusque Imperii Statibus nexum habent ac cohærentiam, quanto magis istam circa publica negotia deliberandi facultatem exercent. Id vero non exiguum esse, vel exinde patet, quod hunc honorem Suecia obtinuerit, multique Exteri ambiverint. Appellantur hinc Civitates pars Corporis Sacratissimi, & Membra Præcipua, in quibus tanquam Basibus stet & subsistat Imperium ipsum, *Bertram de Comit. Imp. concl. 45.* imo Sanctæ & Inviolabiles idcirco a *Sigismundo* in der weltlichen *Reformation de an. 1436.* ap. *Gold. c. 10. pag. 191.* dicuntur, ibi: da wurden die Heilige Reichs-Städte geordnet und gefreyet, darum stehen sie geschrieben heilig, wenn ihnen wird empfohlen alle gerechte und Göttliche Seeligkeit, und wird die Christenheit durch sie gestärcket, *vid. Knipsch. de Civit. L. II. c. 1. num. 1. seq. & Hier. Gigas de Crim. læs. Maj.* scribit, in iis Crimen læsæ Majestatis committi posse. Quod si jam Originem Nobilium indagare velimus, inveniemus, eos Imperatoris servos & famulos olim fuisse & adhuc hodie appellari. Sic ipse *Knipschild.* qui sub nomine *Hippolyti à* Treyßpach latet *L. I. c. 1. n. 37.* de Nobilitate &c. Diplomata Cæsarea & Recessus Imperii citat, in quibus tantum famuli nominantur. In templo Misnensi Epitaphium cum tali inscriptione legitur: anno 1382. obiit Strenuus famulus Henricus de Schleinitz, vid. *Georg. Fabric. L. II. Annal. Urb. Misnens. fol. 54.* ubi addit, quod illo tempore non amplior fuerit Virorum Nobilium titulus, quam, ut strenui famuli nominarentur. Hinc etiam Knechte des Heil. Reichs in *Ordin. Regimenti de anno 1500. tit.* Von der Ritter und Knechte Steuer & in multis Recessibus Imp. dicuntur; vid. Coccejus in Jur. Publ. c. xxxi. n. 14. Qualis vero inter Coimperantem,

&

& Ministrantem notatur differentia, talem quoque inter Civitates Liberas & Nobiles agnoscendam esse, ipsa res satis superque docet.

IX. Quodsi denique illud Præcedentiæ caput, quod onera respicit, consideremus; vel exinde quoque facile jus Civitatum præ Nobilibus eliciemus. Non nego equidem, hoc argumentum solum simpliciter non sufficete ad Prærogativam stabiliendam; interim & hic regula illa ordinaria locum sibi summo jure vindicat, quod ea, quæ singula alias non juvant, conjuncta tamen sint valitura. Unicuique autem notum est, nec ab ullo unquam negatum fuit, quod Civitates ad Imperii onera ordinaria pariter ac extraordinaria, ad Cameræ Imperii sustentationem, & ad reliqua tributa centies plus conferant, quam Nobilitas Immediata. Ipse Treyßpach *Qu. II. n. 225.* fatetur illud his verbis: daß Sie die Ritterschafft bey den Reichs-Versammlungen, denen sie beygewohnet, so viel vermercket, daß bey denselben meistentheils von des Reichs obliegenden Beschwerden und Anlagen consultiret werde, Sie aber dazu sich niemahlen verstehen wollen, sondern ihre hergebrachte Exemption und Befreyung allegiret, und ihre Dienste dem Röm. Reich meistentheils mit Darsetzung Leibes und Bluthes, und tapffern Ritterlichen Kriegs-Thaten erwiesen, und von uhralters hergebracht, daß Sie niemanden anderst nicht, als umb gebührenden Sold gedienet, und sonsten vorhin zu keiner Reichs-Hülffe, an Volck oder Geld, verbunden gewesen, sie auch vermercket, und im Werck befunden, daß die Besuchung der Reichs-Versammlungen grosse Geld-Speesen und Kosten erfordert, daß solchem nach zu Erspahrung derselben, und, weilen Ihnen an Besuchung der Reichs-Täge nicht also hoch gelegen gewesen, Sie sich von denselben nach und nach selbsten abgezogen ꝛc. Quod nihil quoque ad conservationem aut executionem Pacis Religiosæ & Profanæ conferre voluerint, testatur idem ille Treyßpach *Qu. IV. n. 353.* daß, wiewohl die Hochlöbliche Stände des Schwäbischen Creyses hiebevor vielfältig dahin getrachtet, wie sie Löbl. freye R. Ritterschafft an sich ziehen, und in ihre Verein- und Verfassung, so Sie zu Handhabung und Execution des Religion- und Profan-Friedens auffgerichtet, bringen mögen ꝛc. auch die Röm. Kayserl. Majestät selbsten Löblicher freyen Reichs-Ritterschafft in Anno 1561. gerathen, sich mit den Crayß-Ständen dies Orthes einzulassen ꝛc. So hat jedoch eine Löbl. Freye Reichs-Ritterschafft sich dazu nicht verstehen wollen, sondern deßwegen jederzeit bey Ihro Kayserl. Majestät sich bester massen entschuldiget ꝛc. Atque hæc omnia eo minus Nobilitati sunt honorifica, quo certius ipse Hippolytus affirmare ausus est *Qu. VI. n. 483.* Nobilitatem quoad territoria, ditiones, & districtus, Civitatibus non tantum non cedere, sed eas quoque horum bonorum respectu

superare: Und, wenn man für das sechste der Freyen Reichs-Ritterschafft in den dreyen Crayſen habende Landſchafften, Burgmannſchafften, Herrſchafften, und Leuth, und was denſelbigen anhängig, conſiderirt, wird ſich befinden, daß in Anſehung derſelbigen Sie nicht geringer zu achten, als die Ehrbare, Freye und Reichs-Städte, ſondern denſelben auch horum bonorum reſpectu vorzuziehen ꝛc. Cum igitur tam magna Civitatibus incumbat onerum pars; iniquiſſimum ſane erit, Nobiles, qui onera illa atque tributa, ſine quibus nec ſtare Respublica nec adminiſtrari recte poteſt, defugiunt, Civitatibus anteponere; cum tritiſſima illa ſit Regula Juris, quod is dignior & aliis merito ſit præferendus, qui majorem Reipublicæ operam navat, majoresque labores ejus cauſa ſuſtinet, vid. *Boër. de auctor. magn. Conſ. num. 145.* & *Peregrin. conſ. 3. num. 16. Lib. 2.*

Agnovit hæc facile *Hippolytus*, cum luce meridiana ſint clariora, ſed parum cauſæ ſuæ profuit, dum dicit, *num. 568. & 569.*: Nobiles per facta ſua militaria majora adhuc ſervitia Imperatori & Imperio præſtitiſſe, quod ſanguinem & vitam, quæ nulla pecunia comparari poteſt, Cæſari conſecraverint, maſculeque ſemper pro Patria pugnantes mortem oppetierint. Quaſi vero civitates nunquam militaverint, nec auxilia Imperio miſerint? Si illud argumentum urgere vellem, certe illud magis pro civitatum, quam Nobilium, gloria ſtabilienda faciet, utpote, quæ præter onera Imperii, præter innumeras collectas atque Tributa, milites quoque inſigni numero ſuppeditarunt, eosque ſuis ſumtibus aluerunt; cum Nobiles, uti modo allegata verba *Hippolyti n. 225.* indicant, Stipendiarii plerumque fuerint, menſtruaque pro ſervitiis acceperint æra, daß ſie niemanden anderſt nicht, als um gebührenden Sold gedienet. Sed urget Antagoniſta ſemper, ita privilegia Ordinis Equeſtris proſtare, majorum ſuorum benemeritis in Rempl. parta, quæ auferre illis injuſtum! Reſpondeo cum Doctiſſimo *Henniges in meditat. ad Inſtrum. Pac. art. XVI. §. 8.* Virtuti & fortitudini, qua Respublica juvatur, recte & ex merito ſuam conſtare laudem atque mercedem; ſed iniquum eſſe, ut hoc diſpendio & præjudicio totius publici fiat. Præterea ingens rerum mutatio facta ab illo tempore, quo primum Ordo Equeſtris immunitates ſuas & exemptiones fortibus factis & ſtrenuitate armorum promeruit; tunc non adeo iniquum viſum eſt illos ſtipendiis atque oneribus levari: qua ratione vero Nobiles vetera illa privilegia jam jactare poſſunt, qui, relictis majorum inſtitutis, quorum reſpectu hæc Privilegia olim impetrata fuere, nunc vel plane amplius non militant, aut aliam & diverſam militandi rationem ineunt? Neque inſtantia a Belgio Confœderato allata aliquid ad rem facit, cum jam ſæpe dixerim, ab Exterorum exemplis, apud quos alia Imperii atque Regiminis forma, male ad noſtrum Statum concludi.

Nec

Nec tandem exceptio Regis Bohemiæ, Austriacæ Domus, aliorumque Ordinum nobis obesse, vel Nobilibus prodesse potest; jam supra enim ab initio dixi, hoc argumentum de Oneribus non simpliciter valere, sed ceteris paribus; adeoque cum Regum & Archiducum dignitas per se nobilior sit, onerum ratio hic nulla habetur; at, cum civitatum Nobiliumque inter se de prærogativa sit certamen, hoc de oneribus argumentum quam maxime hic applicari posse credo.

Et hac ratione superius tradita argumenta, ex quibus Sessionum Controversiæ decidi debent, ad nostram litem accommodavi; quorum quidem plura porro allegandi mihi suppetiisset copia, nisi ex omnibus præcipua tantum seligenda fuisse prolixitatis evitandæ causa existimassem; simul quoque ea, ab Adversarii objectionibus in Quæstione sua VI. allatis, pro viribus vindicare allaboravi. Quamquam vero illa capita de præstantia subditorum & de majori districtu desumta, quorum *Hippolytus p. 293. & p. 295.* mentionem facit, attingere supervacaneum, vel saltem non firma satis esse, ab initio ostenderim, atque adeo refutatione vel vindicatione istorum opus non esse crediderim; Illud tamen ita intellectum volo, quod sigillatim & sola meo instituto parum profutura fuissent; At, si iis, quæ hactenus declaravi, & hæc superaddidero, si hæc argumenta cum prioribus conjunxero, vel ipsis quoque suam vim atque robur non denegandum esse, confidenter affirmo.

Restant adhuc alia Jura & Privilegia civitatum, quæ, cum maxime quoque ad Præcedentiam faciant, silentio quidem præterire nequeo; at, cum præter expectationem hæc Dissertatio creverit, civitatumque prærogaaiva ex jam adductis argumentis satis asserta videatur, brevissimis ea tantum sum recensurus, remittens Benevolum Lectorem ad *Knipschildium*, aliosque Scriptores, qui de Regalibus, Juribus ac Immunitatibus civitatum ex professo egerunt. Inter ea potissima sunt, quod neminem nisi Imperatorem Superiorem agnoscant, Imperioque incorporatæ sint, non minus, quam Imperii Principes, Prælati & Comites. Ad illarum dignitatem & prærogativam porro quoque spectat, quod Liberæ dicantur, & in diplomatibus & Privilegiis Cæsareis Nobiles appellentur, quod ultimum responsionis loco esse potest in controversia illa, quam citat & refutare conatur *Hippolytus p. 291. num. 561.* an scilicet possessio Baronatus & Comitatus præferentiam aliquam tribuat? Antagonista illud negat, sed necessarium insuper esse asserit, ut Imperator declaret, se præter hoc ipsum, dum civitatem Imperii de feudo Nobili quodam investit, velle, ut pro Nobili habeatur, atque reputetur; Ergo, si voluntatem hanc Imperatoris probavero, habebo, quod volo. Probo autem hanc ex variis diplomatibus Cæsareis, ubi eas Nobiles & Nobilia Imperii S. Rom. membra Edel, und Edle

Glieder des Heil. Röm. Reichs nominat. vid. *Sixtin. de Regalib. l. 1. cap. 4 n. 80. Paurmeist. de Jurisd. L. II. c. 2. n. 45. &c.* Et certe, quæcunque Civitas pro persona publica juribus principum gaudente communiter habetur, illa opus non habet, ut nobilitatem suam aliis argumentis probet; sed hæc tantum obiter dicta esse volui. Exercent præterea Civitates Superioritatem Territorialem, uti alii Status, jure proprio, &, si vulgatam Doctorum conclusionem sequi velimus, in territoriis, ditionibus & districtibus tantum possunt, quantum Imperator in Imperio, vid. *Gail. II. Obs. 57. n. 7.* In Regimento uti olim suos assessores habuerunt, ita adhuc Visitationibus Cameræ intersunt. Gaudent pace Religionis, &, uti ceteri Ordines, jus belli & armorum, jus fœderum, protectionis & Legationum plenissime exercent. Habent iusuper omnia Regalia, & gaudent pleræque earum jure monetas cudendi, quod Nobilitati Immediatæ non competit. Constituunt Magistratus, condunt statuta & jura, homagia a subditis exigunt, collectas, vectigalia, ceteraque tributa ipsis imponunt, & in genere in suis ditionibus, ut reliqui Status, omnimodam habent Jurisdictionem, liberamque rerum suarum administrationem. Et, quamquam hæc pro Nobilibus adduci posse quoque videantur, tamen nec omnia, nec tam illustri atque tam eminenti modo ipsis competunt, ut adeo vel exinde civitatibus præ Nobilibus Præcedentia omnino sit adjudicanda.

SECTIO III.

In qua argumenta pro Nobilitatis præcedentia stabilienda inpr. ab Hippolyto *in Quæstione sua VI. allata, brevissimis refutantur.*

EXaminatis igitur simulque vindicatis juribus & argumentis, quibus civitates præ Nobilibus gaudent, ad refutationem illorum, quæ *Sectione I.* hujus partis ab iis, qui Nobilitati addicti sunt, fuere prolata, me accingo. Plurima, quibus *Hippolytus à* Treyßpach Nobilitatis Immediatæ præcedentiam præ civitatibus Imperialibus adstruere conatur, argumenta eò redeunt, ut probent, *eum, qui ex nobiliori stemmate est genitus, esse anteponendum, & semper anteponi illi, qui ex ignobiliori stirpe natus est.* Sed, quam ficulnea, & levia hæc ipsa sint argumenta, exinde patet, quod non probent id, quod probare debent. Status enim controversiæ nunc non est, an Nobilis præferatur ignobili? Sed, an in Imperio R. G. Civitatibus Imp. præponenda vel postponenda sit Nobilitas Immediata? Jam, quomodo quæsu huc applicari poterunt ea, quæ generaliter de Nobilium prærogativa *Hippolytus* jactat? Cum autem hoc unicum fere sit argumentum, quod semper & ad nauseam usque urgetur; huic inhærere cogor. Inest Nobilibus, præsertim autem iis, (nam de illis, qui sanguini suo virtutis eruditionisque pretium jungunt, sermo mihi non est,) qui

qui nihil aliud ad ſui commendationem habent, quam inanem prope fugitivam majorum ſuorum memoriam, contemptor animus, & ſuperbia adverſus illos, quos non genus ſed propria virtus nobilitavit; cum tamen in conferendis honoribus & dignitatibus non nobilitas ſanguinis, ſed animi ſit inſpicienda; hic enim ſolus vere nobilem hominem efficit. Agnoverunt hoc ipſi etiam Gentiles, quorum dicte nonnulla hanc in rem merentur huc apponi. *Seneca*, qui ipſe etiam Eques fuit, *L. III. de beneficiis* oſtendit, quisnam altero ſit nobilior: *Eadem omnibus principia, eademque origo: Nemo altero nobilior, niſi, cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſua longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis, quam nobiles ſunt: Unus omnium parens mundus eſt, ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, ad hunc prima cujusque origo perducitur.* & epiſt. 44 *Quis ergo generoſius? ad virtutem a natura bene compoſitus. Hoc unum eſt intuendum. Alioqui, ſi ad vetera revocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt, a primo mundi ortu uſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis ſordidisque alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus, nemo in noſtram gloriam vixit: nec, quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Digna quoque eſt, ut legatur, elegantiſſima oratio *Marii* apud *Salluſtium in bello Jugurthino*, in qua, veram nobilitatem in ſola virtute conſiſtere, eleganter oſtendit. Ex recentioribus Illuſtris *Boileau* ſtylo Satyrico perſtrinxit quoque vanos illos antiquitatis ac generis jactatores, ab aliisque virtutibus vacuos, itt canens Satyra V.

- - - Mais enfin lis preuves ſunt claires;
Tous les livres ſont pleins des titres de Vos Peres:
Leur noms ſont echappés du naufrage des tems.
Mais qui m'aſſurera, qu'en ce long cercle d'ans,
A leur fameux Epoux Vos Aieules fidèles
Aux douceurs des Galans furent toûjours rebelles?
Et comment ſavés Vous, ſi quelque audacieux
N'a point interrompu le Cours de Vos Aieux;
Et ſi leur ſang tout pur, ainſi que leur nobleſſe,
Eſt paſſé juſqu' à Vous de Lucrece en Lucrece?

Ex his teſtimoniis, quorum adhuc vel mille adducere poſſem exempla, niſi temporis ratio habenda eſſet, apparet, quam vana illorum ſit Nobilium jactantia, qui ſingularem ſibi præ aliis innatum characterem, & ſanguini, ex quo ortum trahunt, ſpeciales quasdam qualitates, ignobilium ſanguini non adhæ-

rentes, impudenter ſibi arrogant. Unde merito in nobilitatem, quæ virtute caret, ludit *Charron de la Sageſſe l. I. c. 59.* ex illo *Oſeæ IX. verſ. 11. Gloria illorum omnis a partu & ab utero & conceptu*, ſi a majoribus deſcendat; ſin ex Principis beneficio ſit, *c'eſt* ait, *une nobleſſe en parchemin*, nobilitas illa, cui virtus deeſt, membranacea eſt, pecunia aut favore redempta. Si quis igitur pro verè nobili haberi vult, ei non ſatis eſt, jactare nobilitatem generis & res geſtas majorum ſuorum,

Nam genus & proavos, &, quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto;

Ovid. L. XIII. Metamorph. ſed neceſſe eſt, ut ſuis meritis quoque nobilitatis gloriam a Parentibus acceptam illuſtret atque augeat. Quodſi autem nunc vel maxime concederem majorem propoſitionem argumenti illius ab *Hippolyto* prolati; nondum tamen video conſequentiam E. Nobilitas Immediata in Imperio R. G. eſt præferenda civitatibus Imperialibus. Primo enim civitates Imp. non privatorum numero veniunt, uti olim omnes civitates etiam ampliſſimæ, ſola excepta Roma, pro privatis fuerunt habitæ. Hodie enim, cum alia Rerumpubl. & Civitatum Imperialium facies ſit & conditio, illud jam ſunt civitates, dum Status Imperii repræſentant, quod olim de Roma dicebatur, ut adeo pro perſonis publicis habendæ, illarumque jure gaudere debeant. Deinde & hoc abſurdum ex generali de Nobilitate argumento ſequeretur, quod Nobilis Landſaſſius, vel Mediatus quoque præferendus eſſet civitati Imperiali, quæ tamen eſt Collegium ſive Univerſitas ex plebejis & plurimis Nobilibus ſæpe etiam Immediatis conſtans; cum Nobilis Landſaſſius quoad ipſum nobilitatis characterem idem habeat, quod Nobilis Immediatus; quod ipſum tamen aſſertores jurium Ordinis Equeſtris nunquam propugnare vel aſſerere audebunt. Præterea civitates perperam in ignobilium referuntur ordinem; de illis enim dicere nequeo, quod ex ignobili ſtirpe natæ ſint, cum civitates ſint perſonæ myſticæ, quæ non ex ſanguine, ſed ab eo tempore ortæ dicuntur, quo in Univerſitatem illi coivere, qui corpus hoc Myſticum primi conſtituebant, quam civitatum Originem ſi non magis nobilem, multo tamen antiquiorem eſſe, ac Originem Nobilitatis Immediatæ, ex ſupra allegatis innoteſcit. Quod enim hic objicitur, civitates ex plebejis conſtare, leve illud eſt, cum non ſequatur, ſingula corporis alicujus membra utpote plebeja (quod tamen de omnibus civitatibus Imp. ne quidem affirmari poterit) cedunt Nobilibus; E. etiam omnia ſimul conſiderata, & Collegium vel Civitatem componentia, iis cedere debent: fallit hic Regula illa: *quod poteſt dici de partibus, illud etiam dici poteſt de toto.* Ita ſcimus, ſingulos in Monaſterio Immediato Monachos poſtponi Nobilibus, quis vero dixerit, Monaſterium vel hujus nomine Prælatum, licet etiam plebejum,

bejum, Nobilitati Immediatæ præcedentiam relinquere debere? Praxis ſane ac Obſervantia Imperii a multis jam Seculis in Imperio R. G. ſtabilita reclamat. Quid, quod in Gallia Nobilitas, quæ maximis alias juribus gaudet, Collegiis, quæ vulgo Parlamenta ſive Summa Regis Tribunalia appellantur, & ex plurimis ſæpe, qui nativitate plebeji aut ſaltem Nobilitatis haud antiquæ fuerunt, componuntur, cedat, tota die videmus. Deinde in civitatibus multa quoque ſunt Membra atque cives, qui, licet non ex nobili ſtemmate ſint orti, tamen ob officiorum dignitatem non ſolum Nobilibus æquiparandi, ſed anteferendi. Sic Romæ, poſtquam per legem Canulejam plebejis aditus ad honores antea obvallatus patere incepit, Magiſtratibus Majoribus & eorum poſteritati Nobilitas acquirebatur.

Hodie Imperatoris Conſiliarios, ejusque Aulici & Cameralis Judicii Aſſeſſores, die Reichs-Hof-Räth und Cammer-Gerichts-Beyſitzer, nobiles fieri, Cæſareæ Aulæ conſuetudo & quotidiana teſtatur experientia, uti docet *Mauritius de Nobilitate imprim. Germanica num. 19.* Et, quemadmodum virtus nobilitatem generans duplex eſt, vel Militaris, quæ legionibus, vel Civilis, quæ legibus paratur; hinc duas alas & ſcalas Nobilitatis eſſe, unam, quæ Sagatam, alteram quæ Togatam vitam inſequitur, ait *Nic. Betſius de pact. fam. illuſtr. c. 10. p. 721.* denotans hac re inprimis eos, qui gradibus Academiis & privilegiis ſummis ſunt inſigniti. Condecorantur enim illi non ſolum eodem honoris titulo, uti Nobiles, in *l. 2. §. fin. ff. de excuſat. l. 2. §. fin. ff. qui pet. tut. l. 7. C. de poſtul. l. 2. §. 9. C. de Vet. Jur. enucl.* ſed ſingulari quoque ſeſe veſtiendi libertate ac prærogativa præ Illis gaudent, per *Rec. Imp. de Anno 1500. tit.* von Uberflüßigkeit der Kleider, conf. *Coccejus in Jur. Publ. cap. XXXI. num. 24.*

Unde evidentiſſime patet, ſi vel maxime inter ſingulos comparatio inſtituatur, tot hinc inde in civitatibus reperiri cives, qui Nobiles dignitate non æquent tantum, ſed plane ſuperent, ut adeo nec hac ratione Nobiles præ Civitatibus prærogativam urgere poſſint. Verum hæc omnia plane huc non pertinent; cum Civitates hic nobis non in ſingulis Civibus conſiderandæ veniant, ſed tanquam Univerſitas quædam & Corpus Myſticum excellenti & illuſtri quodam charactere, inſeparabili ſcil. dignitate Status, condecoratum. Ad etymologicas circa vocem Adel argutias *Hippolyti* reſpondere, ſupervacaneum puto, cum materiæ gravitas dignitasque illuſtriora longe requirat. Quicquid vero ex etymologia vocis Adel, deduci poteſt, id etiam Civitatibus prodeſt, quæ non tantum Ehrſam, (qui titulus tamen olim adeo magni fuit habitus, ut etiam Comitibus tribueretur, vid. *Goldaſt.* Reichs-Satzungen *Part. II. p. 106.*) ſed etiam Edle vocantur.

Quod

Quod *Secundo de Capitulis Cathedralibus & de Torneamentis* profert Antagonista, quod scil. nemo ad ea admittatur, nisi nobili stemmate ortus, illud utrumque magnam suam habet limitationem, nihilque ad rem facit. Si enim prius de tota aliqua Civitate intelligit, lubenter ipsi largior, nullam unquam Civitatem Imperialem ad Canonicatum adspirasse, sicuti vicissim adversarius inficias ire non poterit, nullum dari exemplum, ubi tota Nobilitas Immediata Canonici munere sit functa: Si vero de membro aliquo sermo est, ostensu facile erit, non solum plures Nobiles in Civitatibus Imp. ad Canonicatum admissos fuisse, sed nec vicissim Ignobiles in totum excludi debere a Collegiis & Beneficiis Ecclesiasticis. Ostendit illud claris verbis *Articuli V. Instrumenti Pacis Westphal. paragraphus decimus septimus*, in cujus fine legitur: *Nobiles, Patricios, & Gradibus Academicis insignitos, non debere excludi a Beneficiis Ecclesiasticis, ubi id fundationibus non adversatur;* dum enim clausulam adjicit illam, nisi singulariter ipsa lex fundationis eos excludat, manifeste indicat, extra talem casum id fieri posse, atque debere. Habemus præterea Jus Canonicum nobiscum consentiens, *in cap. enim 37. X. de Præbendis* Gregorius IX. Pontifex contra Capitulum Argentinense ejusque consuetudinem, juxta quam, nullum nisi Nobilem & liberum, & ab utroque Parente illustrem ad Canonicatus admittebat, expresse statuit: non generis sed virtutum Nobilitatem vitæque honestatem esse admittendam. Digna videntur, quæ huc adducantur, verba integra: *Non igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum Nobilitas vitæque honestas gratum Deo faciunt & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eo, quod non est personarum acceptio apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (nedum ad Præbendas) Viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas*: (& infra) *Discretioni vestræ mandamus, quatenus, si Vobis constiterit, prædictam Præbendam vacasse, quando ipsam dicto I. contulit Episcopus memoratus, ipsum ad eam recipi faciatis.* Quod si forte objicietur, non solere tamen tales homines præter Nobiles admitti: breviter replicari potest axioma illud notissimum: *non videndum, quid Romæ fiat, sed, quid fieri debeat.*

Quod ad alteram rationem de Ludis Equestribus allatam attinet, ubi adversarius dicit, articulis Torneamentorum cautum fuisse, ut, qui se a quatuor in ascendenti linea Nobilibus descendisse probare non possit, non sit admittendus; illud quoque magna cum cautione intelligi debet. Nam primo in genere notari merentur verba *Illustris Bœcleri L. XII. c. 8. in Not. Imp.* qui ita dicit: *Cum celebritas hastiludiorum negari non possit, vix tamen aliquid de hac re ad Leges Universales Imperii referri potest, cum pleraque in arbitrio eorum posita fuerint,*

qui

qui vel instituerunt talia Spectacula, vel illis quasi Magistri præfuerunt. Prorsus, sicut hodie in istis longe facilioribus ludis (Ringel-Rennen) *qui Magnatum solemnitatibus solent interponi, accidere consuevit.* Secundo illud praxi est contrarium, quia Imperator, cujus solius est statuere, quænam privilegia Nobiles noviter a se creati habere debeant, sæpissime, dum Nobilem aliquem creat, hoc jus ipsi tribuit, daß er Lehens-Turnier genoß und Rittermäßig sey, auch der Beneficien auff Thum-Stifftern fähig seyn solle, allermassen, als wenn seine Ahnen, Vatter, Mutter, und Geschlechter beyderseits durchauß Edel-gebohren, Turnier-Genossen, und Rittermäßige Edelleuthe gewesen.

Tertium argumentum ridiculum & miseratione dignum est, dum ex eo, quod olim Reges ex Nobilibus fuerint electi, aliquam Prærogativam illis adtribuit; nam tempora Germanorum ad nostrum Statum plane non accommodari possunt: deinde, si antiqua historiarum monumenta excutiamus, Polonia pariter atque Bohemia, aliaque adhuc Regna, non unum nobis suggerunt exemplum Regis non ex Nobilitate, sed ex ipso quoque Civium gremio, electi. Ita Piastus ignobilis plane Civis sceptro admotus a Polonis Seculo IX. referente *Cromero in Hist. Polon.* & in Bohemia Seculo VIII. *Premislaus I.* ab aratro ad Solium Principale evectus fuit, ut adeo vanitas hujus argumenti omnium facile animos feriat.

Quartum argumentum nihil quoque ad rem facit; nam, si ex Nobilibus ad altissimas dignitates nonnulli evehantur; plebejis vicissim eodem jure summæ patuere, & adhuc patent dignitates. Notissimum est Willegisii Archi-Episcopi Moguntini exemplum, cujus Parens Carpentarius fuit; ita quoque *Ottonis III.* Præceptor Gerbertus, post Episcopi & Archi-Episcopi dignitates tandem *Sylvestri II.* nomine Pontificiam tiaram consecutus est, ut infinita alia Cardinalium & Pontificum historia exempla transeam. Hodie quotidie videmus ex Plebejis Episcopos & Prælatos eligi, qui ob dignitatem Ordinibus Imperii adhærentem non solum illis præferuntur, qui alias natalium præstantia antecellunt, sed ipsis etiam Comitibus & Baronibus. Habent igitur hac in re Nobiles nihil præcipui præ Plebejis. Suppetit vero adhuc alia respondendi ratio; si enim vel maxime concedere vellem, solis Nobilibus ejusmodi dignitates conferri solere, quid hoc ad nostram quæstionem? Eo ipso enim, dum Nobiles Immediati ad Episcopatum & ad Status eminentiam evehuntur, non amplius manent nudi Nobiles, sed novo sub charactere, qui Status Imperii dignitatem annexam habet, jus Præcedentiæ novum sibi acquirunt, quod Civitates Illis nunquam dubium reddere sustinebunt.

Ita *quinto* nec Nobiles juvat, quod Socii & Fratres Ducum, Principum, & Comitum fuerunt appellati; nam non ex ea conjunctione, sed ratione & di-

gnitate *Status* Prærogativa æstimatur. Præterea possunt in fœdere conjungi personæ diversæ plane conditionis, nec unus sociorum alteri statim communicat suam dignitatem: &,si Nobiles Comitibus juncti sunt, manent tamen Nobiles, nec inde fiunt Comites aut Barones. Huc enim male quadrat tritum illud: *Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se*: & in genere argumentum a Societate deductum potius ad falsas, quam ad genuinas, Præcedentiæ rationes trahendum esse, unusquisque facile videt. Ut taceam, quod hodie non amplius conjuncti sint cum Comitibus, dum hi separati a Nobilitate Immediata jam votum in Collegio Principum habent. Quod porro *Hippolytus* de jure portandi Vexilli jactat, quod nemo scilicet nisi Nobilis Vexillum San-Georgianum ferre ausus fuerit, quodque Comites Nobilium Capitanei & Directores fuerint appellati; idem jus etiam Civitatibus competiit, quibus Vexillum Imperiale in Expeditionibus Imperii, inde ab antiquo concedi solitum fuit, idque cum insigni prærogativa Reipublicæ Argentoratensis, cui primus in ferendo Imperiali Vexillo honor tribuebatur. Quodque Comites etiam in servitio militari Civitatum fuerint, ex historia notum est, sicut *Albertum Habspurgicum Rudolphi I.* Imperatoris Patrem, ipsumque etiam *Rudolphum* Vexilliferos Urbis Argentoratensis *Parralipomenon ad Abbatis Urspergensis Chronicon Scriptor* vocat: quos Præfectos militares Civitatis Argentoratensis fuisse *ex Gerardo de Roo. L. I. p. 7. & 9. Histor. Austr.* discimus; vid. *Illustris Obrechti Dissertatio de Vexillo Imperiali c. 4. & 5. & Kulpisius ad Monzambanum.* Quod si vero gloria ac præeminentia exinde deduci posset; illa ipsis certe Civitatibus Imperii majori competeret jure, quippe quæ Fœdera & Societates cum Summis Imperii R. G. Membris non tantum, sed & Extraneis Principibus ac Regibus, & quidem ad ipsorum preces, non una vice iniverunt; quemmadmodum hoc ex illustri Fœdere Suevico, Hanseatico & ex Actis, in Archivo Civitatum Imperii servatis, ad oculum, si in dubium vocaretur, demonstrare possem; ut adeo ex hac illatione, quod olim Comitibus sociati fuerunt, nihil juris aut prærogativæ pro Nobilibus concludi possit, uti non magis ex eo, quod

Sexto ab *Hippolyto* affertur, quo scilicet, cum Civitates Baroni noviter creato lubenter cedant, iniquissimum sit toti Corpori Equestri illud denegare velle. Nam sola dignitas Baronis non efficit, ut quis in Comitiis comparere queat, sed requiritur præter consensum Imperatoris consensus Statuum, inprimis Collegii illius, in quod recipi desiderat, uti illud manifeste ex Capitulationibus apparet. Hinc nihil est absurdi, si Civitates tali Baroni aut Comiti, in quo tanquam Subjecto capaci Suffragii facultas existere incipit, primas cedant; nam præcedit Baro, non ut Nobilis, sed ut Imperii Status, qui Votum in Comitis habet, & ad Regimen Universi concurrit. Studiose enim hæc potestas,

quam

quam Status in rebus ad totum Imperium concernentibus habent, distinguenda venit ab illa, quam quisque in suo territorio adversus eos, qui sibi subjecti sunt, exercet. Prior illa potestas, quæ fundata est in Sessione Comitiali, titulum præcedentiæ legalem, uti supra ostendi, tribuit, qua iterum ablata, vel amissa, Prærogativa quoque cadit. Hinc vel leviter attendenti manifestum fit, crassissimum esse errorem, quem *Hippolytus* ad thesin suam fundandam committit, dicens num. 480. da jedoch dergleichen neue Frey-Herren denjenigen, so den Frey-Herrn-Stand zuvor erlanget, von selbsten die *Præcedence* gerne gönnen, nam ii, qui Barones Imperii actu sunt, e. gr. *Fleckensteinii olim Walpott de Bassenhaim etc.* Baronibus Landsassiis, licet prius dignitatem Baronis nacti sint, nunquam sunt cessuri, id quod praxis & usus quotidianus luculenter probat.

Septimum argumentum, quod *Hippolytus* de territoriis & subditis Nobilium adducit, parum habet in recessu. Supra jam probatum dedi, ex sola potentia & amplitudine territorii haud solide judicari posse ad Præcedentiam stabiliendam: Quodsi vero hanc argumentationem tanquam validam admittere vellem, exinde non solum paritas, sed & præeminentia quædam Civitatum præ Nobilibus probari poterit. Nam, licet nonnullarum Civitatum Imperialium (quarum numerus tamen admodum parvus) potestas vix ultra mœnia Urbis progrediatur; multæ tamen vicissim Comitatus & Baronatus possident; ut igitur horum etiam bonorum respectu Civitates Nobilibus sint anteferendæ: conf. ea, quæ dixi pag. 95. in fine.

Sed properandum est *ad Octavum Argumentum*, scilicet ad Ordinem Scripturæ, quem Antagonista tanquam legem & regulam allegat, ex qua totam rem potissimum decidendam esse, putat. Quamquam vero jam in parte generali per argumenta indubitata ostenderim: Ordinem scripturæ ad decisionem harum controversiarum allegari non posse, ut exinde certus Ordo dignitatum cognoscatur; cum non res scripturæ, sed scriptura rei inserviat: tamen, cum adversarius huic argumento tanquam authentico & immutabili innitatur, invitus cogor hic subsistere. Prævidit ipse quidem *Hippolytus* fragilitatem hujus argumenti, dum in *Qu. VI. n. 498.* fateri cogitur, quod non Ordo scripturæ sit spectandus, sed potius ex Jure sumendum id, quod agi videtur *juxta Paulum JCtum in l. 6. ff. de Solut.* & Ordo Scripturæ non impediat causam Juris & Voluntatis *sec. Papinianum, in l. 77. §. 12. ff. de Legat. 2.* & tamen pagina antecedenti hoc argumentum tanquam palmarium urget; ut adeo sibi ipsi contradicens, sententiam contra se pronunciasse videatur. Verum dato, sed non concesso, quod Ordo Scripturæ Prærogativam tribuat, ex parte Civitatum non minus Leges Publicæ, Recessus, & Acta quoque extant, in quibus Illarum

rum præ Nobilibus fit mentio. Ita primo omnes atque singulæ Civitates Imperiales sub appellatione Statuum (quod nomen Electores, Principes, Prælatos ac Comites, qui indubitanter Nobilitati præcedunt, compræhendit) semper & ubique continentur, *vid. Art. V. §. 29. Pac. Westphal.* quod solum, uti *Clarissimus Henninges* annotat, ad h. l. sufficere debet, ne inter se & Status Superiores Ordo Equestris medium locum capiat. Deinde expresse Civitates anteferuntur in der Regiments-Ordnung *de Anno* 1500. rubr. von der Steur der Frey- und Reichs-Städte cum 4. seqq. Policey-Ordnung *de Anno* 1530. rubr. Bürgern in Städten ꝛc. cum seq. & *de Anno* 1548. rubr. von des Adels, und ihrer ꝛc. §. 2. Item, welche Grafen, Herren, *& tit.* 10. cum seq. im Reichs-Abschied *de Anno* 1576. wir wollen auch zu mehrer ꝛc. & seqq. *de Anno* 1582. §. wir wollen daneben ꝛc. cum seq. *de Anno* 1613. §. und damit dem Erb-Feind ꝛc. Quis hinc non videt, ex Ordine Recessuum sibi neque alias satis, neque hic præsertim constanti, firmiter ad rem ipsam concludi non posse, Quare *Limnæus Tom. I. addit. ad L. IX. c. 1. n. 210.* expresse dicit, ordini in subscriptione, præsertim antiquorum Recessuum, non adeo inhærendum esse, postquam in illis varie erratum fuerit. Ita in Comitiis Ratisbonensibus *de Anno* 1641. *teste eodem Limnæo* Legatus Elwangensis affirmavit: Es sey kundbahr, daß in *Subscription* sonderlich der alten Reichs-Abschiede, auch sonsten in mehr Wege verstossen, & *Tom. II. addit. ad L. IX. c. 1. n. 210.* allegat Episcopum Eichstadiensem, qui hisce verbis affirmavit, subscriptionem non suppeditare firmum argumentum ad probandam præcedentiam: Es ist nicht genug des Vorsitzens wegen, sich auf die *Subscription* der Reichs-Abschieden zu beziehen, sondern es ist nach der Reichs-*Observance* vonnöthen, solche *Subscriptiones*, bevorab selbige nicht von denen Fürsten und Ständen eigenhändig zu geschehen pflegen, mit denen Reichs-*Protocollis* zu *justificiren*. Id adhuc adjici debet, quod si etiam antiquus stylus Curiæ pro Nobilibus militet, tamen illud non in illorum favorem amplius verti posse. Sed potius contra eos, quia amiserunt jus Voti, jam applicandum venit triste illud Proverbium: *Fuimus Troes;* ut taceam, quod in ejusmodi rebus non ad præteritam, sed ad præsentem rerum faciem, & statum hodierni temporis sit attendendum. Apparet illud *argumento Commissionis Cæsareæ* 1684. *mense Sept. Civitati Francofurtensi atque Nobilitati Wetteravicæ demandatæ, ubi, cum Nobilitatis Commissarii votando & sedendo præcedere conarentur, opposuerunt se Francofurtenses, literis desuper ad Cæsarem datis, quibus primas sibi relinqui, aut Commissionem in alium transmitti, petierunt, obtinueruntque. Anno 1685. Ablegante Cæsare ad Circuli Suevici Comitia Frobenium Mariam Fürstenbergium, cum credentialibus, sequentis inscriptionis:* Denen Hoch- und Ehrwürdigen, auch Hochgebohrnen,

bohrnen, unserm lieben Freund, Vetter und Fürsten, auch Ehrsamen Wohlgebohrnen, Edlen, unsern lieben Andächtigen, und des Reichs getreuen N. N. Prälaten, Grafen, Ritterschafften und Städten des Schwäbischen Cräyses ꝛc. *protestabantur pariter Civitates*, baten auch ihre schrifftliche *Protestation* nicht allein dem auffrichtendem *Receß* einzuverleiben, sondern auch dem Kayserlichen Herrn *Commissario* zu dem Ende bekandt zu machen, damit inskünfftig denen Reichs-Städten an ihrer *Præcedentz* vor der Ritterschafft hiedurch nichtes *præjudiciret*, sondern selbige vielmehr bey dem gesamten Crayß-*Corpore* von Fürsten, Prälaten, und Grafen, ohne *Intercalation* der *Noblesse*, beybehalten werden möchten. *Querelas etiam has non solum approbaverant reliqui Ordines, sed & eas Commissario Cæsareo communicaverant, factum errori Cancellariæ imputanti, data fide, illud Civitatibus nullatenus præjudicaturum*, quemadmodum hæc dua exempla *Pfeffingerus in notis ad Vitr. L. III. t. 14. §. 6. ad lit.* (c) citat. Quod ad casum attinet, quem *Hippolytus* producit, ubi Legatus Nobilitatis Immediatæ prælatus fuisse dicitur Legato Civitatum Imper. merito de illo dubitari potest, cum nihil in Actis Publicis hac de re relatum legamus, & non credendum, Civitates juris sui, quod hactenus mascule defenderunt, adeo negligentes fuisse, ut saltem non contradixerint. Ne nunc de eo dicam, quod, cum *Hippolytus* ipse Syndicus Nobilitatis fuerit, testimonium ejus, utpote in propria causa, valde suspectum sit, adeoque non magnopere attendi debeat. Quodsi vero præter expectationem casus extiterit, breviter hic replicari potest, quod non exemplis sed legibus pugnandum sit. Et, si maxime etiam verum esset, quod Nobilis prius fuerit admissus; unde probatur, Civitatibus id cognitum fuisse, quod Nobiles Immediati Credentiales suas literas post Civitates demum præsentaverint? Potuerunt enim ex eo ipso, quod prius audientia Legato Nobilitatis fuerit concessa, putasse, etiam Credentiales prius fuisse exhibitas.

Ad *Nonum* Argumentum, quod de observantia aliorum Regnorum, & de Civitatibus Mediatis, utpote quæ omni loco ac tempore Nobilitati Mediatæ cedunt, urgetur, non arduum est, respondere. Nam ab aliis Regnis & Rebuspublicis ad Imperium R. G. non valet consequentia, cum illorum Status multum distet a forma Reipublicæ nostræ, & illis Urbibus non eadem insit, quæ Imperii Civitatibus, conditio, utpote, quæ regiminis participes, tanquam Fulcra & Columnæ Imperii passim celebrentur. Deinde negatur & pernegatur, quod, qualis sit ratio Nobilium Mediatorum erga Civitates Municipales, talis etiam Nobilium Immediatorum erga Civitates Imperiales esse debeat. Immedietas enim sola rem non conficit, nam, licet omnes Status necessario Immediati esse debeant, neutiquam tamen sequitur ordine inverso E.

omnes Immediati sunt Status, & res Imperii moderantur; dari enim Communitates ac Pagos Immediatos, docet *Instrum. Pacis Art. V. §. 2.* qui tamen non sunt Status. Porro in Comitiis Provincialibus Civitates Mediatæ non solæ comparent, sed etiam Nobiles Mediati; in Comitiis vero Imperii tantum Civitates Imperiales, & quidem exclusis Nobilibus Immediatis, comparendi jus habent; ut adeo quam maxima inter dictas partes intercedat differentia. Civitates enim cum Imperatore tanquam Status in communione publicæ sunt administrationis, & in omni fere rerum gerendarum articulo in partem regiminis veniunt; qua prærogativa vero Nobiles Immediati carent, dum neque consuluntur, neque volentes ad Comitia admittuntur.

Sed provocant *Decimo* ad Solemnitates & alios Congressus Extra-Comitiales, & contendunt, quod, uti in illis Civitatum Legati semper Nobilibus sunt postpositi; sic idem quoque in Conventibus Imperii & Circulorum obtinere debeat. Sed nunquam illud concessum fuit à Civitatibus, & aberrat adversarius a veritate, dum dicit, Civitates nunquam contradixisse. Ponamus quoque, (quod jure factum tamen nunquam concedo) Legatos Civitatum interdum Nobilibus cessisse, illud proprio marte fecerunt, quo facto Civitatibus, tanquam Dominis, nullo modo præjudicium facere potuerunt. Cum enim Legati imaginem ac vicem eorum, a quibus mittuntur, referant; consequens est, ut regulariter etiam eadem ipsis competat Sessio, quam Legantes Civitates, si ipsæ præsentes esse possent, habituræ fuissent. Quod vero prior locus Civitatibus etiam in Solemnitatibus aliisque congressibus Extra-Comitialibus debeatur, ostendit itidem *Capitulatio Imperatoris hodierni* expressis verbis: Und ebenmäßig ausser solchen Reichs-Festivitæten am Kayserlichen Hof, und allen Orthen, obseviret werden. Hæc verba und allen Orthen totam rem conficiunt, & vel leviter attendenti indicant, Præcedentiam Civitatibus ubique locorum competere. Etiamsi enim hic locus expresse & diserte non de civitatibus, sed de Comitibus Imp. agat; manifesta tamen est ex ratione adjecta ad civitates Imp. conclusio; si enim ideo, quoniam votum habent in Senatu Principum in Comitiis Comites, debent non tantum in solennibus Imperii Curiis, sed in Aula etiam Cæsarea, & ubique, und allen Orthen præcedere alios Comites; etiam civitates, quæ immediate cum suo Collegio in Comitiis sequuntur Collegium Principum, hunc locum ubique aller Orthen tueri debere, patet, ita, ut locus intermedius Nobilitati Immediatæ concedi haud queat.

Ad *Undecimum*, quod dicit, nullos actus Possessorios vel quasi ex parte nostra allegari posse, jam supra respondi, & nunc quoque provoco iterum ad Conventus *Norimbergæ* 1619. & *Francofurti* 1631. 1633. & 1634. habitos, ubi primum locum quidem Nobiles ante civitates affectarunt; his tamen anti-

qua

qua Prærogativa ſervata fuit. Hinc ſæpe jam allegatus *Cruſius L. IV. de Præced. c. 28. n. 23.* expreſſis verbis dicit: *Civitates Imperiales Nobilibus circa jus πρεσβείας præferuntur. Quapropter, tametſi Anno 1619. menſe Octobri in Conventu Correſpondentium Norico, Ordo Equeſtris Franconiæ Seſſionem ante Civitates liberas Imperii peteret, Legati tamen Civitatum Imperialium ipſis cedere noluerunt, obtinueruntque.* Tempore *Pacificationis Weſtphalicæ* Ablegatus Nobilitatis *Wolffgangus a Gemmingen* poſt Legatos Civitatum nominari dedignatus eſt; cum vero hi, ſi ſecus fieret, ſeceſſionem minitarentur, Ordines ac Principes Evangelici in Conventu Lengerano in vim temperamenti, ut loquuntur, id propoſuerunt, ut, duobus confectis libelli exemplis, uno quidem civitates, altero vero Nobiles priori ponerentur loco, eaque ſimul offerrentur; ſed, quamquam in fine clauſula adjecta fuerit, ne iſte actus in præjudicium cujuscunque partis valeret; tamen civitatum Legati hoc non contenti fuerunt, & effecerunt, ut eodem, ac in Pace Religioſa, modo, primo Electores, Principes ac Status absque interruptione, interque eos civitates implicite ponerentur, mox Nobiles ſubjungerentur cum ſuis gravaminibus, denique civitatum expreſſa rurſus, ea tamen conditione, mentio fieret, quod priori quidem loco ſub vocabulo Status comprehenſæ, hic autem majoris evidentiæ cauſa denuo nominatæ ſint. Qua ſcilicet re ſatis oſtenſum fuit, Illas Nobilitatem antecedere, cum inter Status ſuo ſint loco civitates, poſt quas demum Libera Imp. Nobilitas ponatur. Ubi illud quoque obſervatu dignum videtur, quod initio Pacificationis, cum lis recrudeſcere inciperet, Civitates ſex diverſis vicibus, in Propoſitione a Suecico Legato facta, in Reſponſione Cæſarea ad eundem data, inque Gravaminibus Ordinum Evangelicorum & Catholicorum priori ſint poſitæ loco: id quod ipſe *Wolffgangus a Gemmingen* in memoriali ſuo ad Suecicum Legatum ſcripto, quod *Londorpius Tomo ſuo II. cont. c. 43. p. 109.* exhibet, fatetur: ex quo ſatis apparet, Imperatorem, ceterosque Status Imperii & ipſum Plenipotentiarium Suecum in ea ſententia fuiſſe, civitatibus præ Nobilitate Præcedentiam omni jure competere.

Tranſeo ad *duodecimum Argumentum*, ubi Antagoniſta ex digniori titulo, quem præ civitatibus ſibi tribui Nobilitas Immediata gloriatur, aliquam Præcedentiam extorquere vult. Sed primo ridiculum eſt, ex titulis ad Præcedentiam argumentari velle; quodſi enim, ut ſupra amplius oſtendi, & *Theodorus Hœpingius in tract. de jure inſignium cap. 22. §. 7. n. 213.* fuſius monſtrat, ex titulis eminentia quædam tribuenda eſſet, infinitarum litium inde ſubſequerentur miriades, & hodie ob luxuriam, & intempeſtatem titulorum eo deventum eſt, ut homines etiam infimæ ſortis non contenti ſint, ſi appellentur Edel, Wohl-Edel. Aſt ponamus, titulum eſſe juſtum Prærogativæ fundamentum,

mentum, num igitur civitates minoribus titulis gaudent? tantum abest, ut potius dicendum videatur, Eas adhuc excellentioribus encomiis præ Nobilibus honorari. Appellantur enim, uti jam supra passim monui, in Diplomatibus & Privilegiis Cæsareis *Nobiles*, *& Nobilia Imperii S. R. I. Membra.* In individuo illarum dignitas resplendet ex *Reformatione Imperatoris Sigismundi de Anno* 1436. qui eas non solum die Würdige Reichs-Städte appellat, *& libertatem suam à Christianitate habere*, inquit in der Geistlichen *Reformation cap. 3. vers. 11.* Verum etiam eas expresse indigitat heilige, in der Weltlichen *Reformation cap. 10.* vid. *Knipschild. de Civit. L. II. c. 1.* Imo quasdam Illustrium titulo, & Inscriptione Dominos Clementes, Gnädige Herren, exornari, testatur *Dauth in Discursu Generali & Speciali de Rebuspubl. inf. Sax. p. 36.* Ipse Imperator nomen Edel ipsis dat, cum Nobilibus tantum prædicatum, Veste, uti ipse *Hippolytus* testatur, tribuat: Sic Colonia Agrippina in Huldigungs-Brieff Imperatoris Sigismundi vocatur, die Edle Stadt, und daß dieselbe vor andern Städten in Teutschen Landen Edler fundiret, und mit mancherhand Freyheiten und Ehre mannigfältig gezeichnet sey. *Besold. de jur. Civit. Imp. num. 5.* Quodsi igitur ex titulorum concursu verum ratiocinium pro stabilienda præcedentia deduci posset, illud magis pro Civitatibus, quam pro Nobilitate militare, unusquisque facile videt.

Sed progredior ad *decimum tertium* Argumentum, in quo militaris decoris rationem haberi postulant adversarii, utpote, in cujus imminutionem verteretur, quicquid Equestri Ordini decederet. Quasi vero militaris gloria Nobilitati soli sit propria, nec in civitatibus quoque refulgeat? Certe, si Acta Publica civitatum evolvamus, reperiemus, eas merita sua quoque habere, & quidem majora & extantiora, quam ipsam Nobilitatem. Hinc *Thuanus L. I. & IV.* eas non minimam roboris S. R. Imperii partem esse judicat. Quod robur etiam non raro contra Principes inibi quæsiverunt Imperatores, idque effectu maximum ibidem residere comperti sunt; sicuti de *Ludovico Bavaro*, cum contra eum *Carolus Moraviæ Marchio*, postea *Carolus IV.* dictus, eligeretur, commemorat *ex M. Alberto Lehmannns Chron. Spirens. L. VII. c. 32. in fine.* Unde hoc sentientem Carolum IV. in extollendis & augendis Civitatibus, quarum opes & robur didicerat, admodum sedulum fuisse, refert *Bertram. de Comit. Imp. concl. 45.* Apparet hinc, ut multa alia silentio prætereamus exempla, civitates æquæ ac Nobiles sanguinem Patriæ consecrasse, imo plus ipsis Nobilibus præstitisse. Nam, si numerum probe ineas, pro uno Nobili vicenos suorum Urbes in commune bonum suppeditaverunt, & adhuc suppeditant, cum mos ille jam dudum evanuerit, quo Nobiles ipsi suis stipendiis sumptibusque meruere. Mirare hinc lector verborum jactantiam, quibus adversarii sui

pro

pro Patria sanguinis generosam profusionem, vitæque contra hostes impendium passim ostentare solent.

Sed id jam agendum videtur, ut quæ in *paragrapho sequenti* fuerunt objecta, diluantur. Quod itaque primum attinet, quo asseritur, eum, qui membrum Imperii repræsentat, quoque Statum esse, illud haud quaquam concedendum puto: nam, qui membrum Imperii est, propterea tamen non etiam Status protinus censeri debet, stricta & propria illa significatione Status, quæ jure publico receptissima est, utpote, qua eum Statum dicimus, qui cum Immedietate jus suffragii ferendi conjunctum habet. Siquidem aliud est, dici Membrum Imperii Immediatum etiam, aliud, Statum esse, uti id constat præter alios innumeros textus, *ex Rec. Imp.* 1576. in cujus principio dicitur, dessen angehörige Glieder, Stände und Unterthanen bey gutem, beständigem, friedlichem Wesen zu regieren, zu beschützen, und zu hand haben, auch die Stände zu keiner unnöthigen Reichs-Versammlung zu bemühen. *Mens & intentio Maximiliani II.* (verba hæc sunt *Arumæi c. 4. de. Comit. num. 1.*) *fuit, Imperii Membra & Status, Subditos pacifice regere & Status etiam ad non necessaria Comitia mime vocare; quiergo ad Comitia vocantur, illi Status* oder Stände *dicuntur: reliqui quidem vel Membra Imperii, vel subditi sunt, sed Comitiorum jus non habent.* Apparet illud clarissime etiam exemplo Principum Italicorum, qui quidem tanquam Membra immediate recognoscunt Imperatorem, non tamen Status sunt; ut adeo argumentum quidem recte negative procedat: Non est Membrum Imperii E. ad Comitia non vocatur, non itidem affirmative. Notabiliter hinc *Bœclerus* dicit *in Notitia S. R. J. L. V. c. 1. Membra Imperii latius patere, quam vocabulum Statuum, notius est, quam ut dici debeat.* Ad alterum, quod objicitur, Nobiles scilicet olim jus sessionis & suffragii in Comitiis Imperii habuisse, jam supra respondi, nec ita injurius sum in Nobiles, ut illis hoc jus olim competiisse, contra tenorem documentorum, contra testimonia historicorum, & contra effata ipsorum Imperatorum in dubium vocare velim; sed consequentiam illam, E. *adhuc sunt Status*, minus solidam esse, contendo. Antiquis temporibus quidem eos de Summa rerum Imperii cum aliis Statibus consultasse, certum est, se ab eo, quod olim usurpatum fuit, & a præterito ad præsens arguere, non aliud est, quam mundum *revangisare*, ut *Baldus* loquitur.

Ast opponunt Viri celeberrimi, Nobiles ex eo solo, quod non comparuerint in Comitiis, propterea Status Imperii esse haud desiisse, idque probant per Privilegium illis concessum, & per Exemplum Regis Bohemiæ. Sed, quod ad Privilegium quidem attinet, ne volam unquam illius in Legibus Fundamentalibus me reperisse memini, ita, ut in illorum arbitrio constitutum fuerit, velintne in Comitiis comparere, nec non, cum tamen Privilegia regulariter sint

facti, adeoque probanda. At de Rege Bohemiæ documenta certa extant, in quibus Privilegium olim obtinuit, ut ad Curiam vocatus aut requisitus venire non teneatur, nisi Imperator Curiam Norimbergæ, Bambergæ, aut Martispurgi celebret, quod Privilegium licet speciale fuerit, tractu temporis tamen secundum *Limnæum* in generale transiisse credibile est; ut quocunque locorum in Imperio Comitia instituantur, ad eadem non teneatur nisi volens accedere. Sed non illud urgebo, concedam potius, Nobiles hoc privilegium vetustate & immemorialis temporis præscriptione acquisivisse. Quomodo autem illud pro Privilegio jactari potest, cui etsi renunciare velim, mihi tamen non liceat aliorum Statuum jure uti? Cum enim pluribus vicibus, inprimis vero *anno. 1686.* in Aula Cæsarea readmissionem ad Sessionem & Votum peterent, non admissi fuerunt; &, quamquam Archi-Episcopi Moguntini, & reliquorum Sacri præsertim Ordinis Principum, ipsiusque Cæsaris commendatione subnitebantur, nihil tamen impetrarunt. Jam autem hæc omnia Privilegio clare sunt opposita, cum Privilegium id velit, ut quis ad omnia Comitia vocandus sit, & venire possit, sed non teneatur comparere si nolit. Neque exemplum Regis Bohemiæ hic applicari potest; licet enim Privilegium habuerit, ut ad Comitia vocatus comparere non teneretur; existimant tamen multi Doctores, & quidem non sine ratione, illud ex consuetudine abrogatum esse, & Regem Bohemiæ omni in Comitiis decidendæ sententiæ jure ob diuturnum illum non usum excidisse. Hoc quidem cum Clarissimo *Henninges* concedo, quod, si vox Status in latissima significatione pro Eximio & Immediato Imperii Membro accipiatur, Regem Bohemiæ nequaquam excludi debere ab hoc Ordine, qui Elector & Vasallus Imperii ab hoc Regium & Illustre Feudum tenet; Sin autem Status secundum supra allegatum paragraphum 2. artic. VIII. Pacis Westph. definiatur, *ut quis sive contradictione jura Suffragii in omnibus deliberationibus gaudere debeat*, illum in hanc classem non admittendum esse, facile patebit. Probari enim illud potest præter innumera alia argumenta quæ profert Arumæus c. 4. de Comitiis, tum ex Subscriptionibus Imperii, in quibus sex Electorum frequenter, at nulla Regis Bohemiæ, mentio conspicitur; tum potissimum ex eo, quod Imperator & ceteri Ordines Imperii ipsi Jus Comitiorum aperte denegaverint. Nam, cum in Comitiis Viennensibus 1470. nonnulli vellent, ut Rex Potiebradius ad ea vocaretur, a Friderico III. & plerisque Ordinibus, Eum honore illo indignum esse, conclusum fuit *Hagec. p. 2. anno 1476. in Chron. Boh.* Ita, cum Electoralis Congregatio Norimbergæ 1611. celebraretur, reliqui Cardinalem Closelium, a Bohemiæ Rege ad hunc Conventum ablegatum, admittere noluerunt. Sed quid opus est pluribus testimoniis, cum ipse Ferdinandus I. Rex Bohemiæ Carolo V. in Comitiis Augustæ 1548. celebratis, uti illud *Arumæus*

mæus C. IV. n. 58. exhibet, professus fuerit, Reges Bohemiæ non amplius inter Status referri debere, cum neque ad Comitia vocentur, neque in illis Votum & Sessionem exerceant. Verba ita se habent: zudem, daß ein König zu Böhmen zu einigem Reichs-Tage nicht beschrieben würde, auch weder Stand noch Stimm im Reichs-Rath hätte ꝛc. ut adeo Regis Bohemiæ exemplum magis obsit, quam prosit Nobilibus.

Sed respondendum est ad alteram objectionem, quod tamen Status sint ad minimum quoad potentiam proximam, vel actu primo, quodque adeo, si Prærogativa Status urgenda sit, Illi neque ex hoc capite Civitatibus cedere debeant. Sed omnino hic Nobilibus deneganda videtur Statuum Imperii dignitas vel ipso etiam actu primo; quodsi enim actu primo i. e. jure fuissent Status, exercitium profecto hujus Juris in illorum fuisset potestate. Jam vero non fuit in illorum potestate, exercitium hujus actus primi; dum anxie apud Cæsarem illud quæsiverunt, qui Illis minime exercitium denegare potuisset, si fundati fuissent in actu primo, cum ipse Amplissimus Dominus D. Feltzius, pag. sua 72. fateatur, *actum primum plane inanem fore, imo Statui jus ipsum ademtum dici posse, si exercitium interdicatur;* quod idem est, ac non admittatur. Verum posito, quod dentur Status in potentia proxima, quodque Nobiles tales sint; tamen Præcedentiæ Civitatum hac in re nullum præjudicium affertur. Apparet illud ex claris verbis *Capitulationis Caroli VI. art. III.* quæ licet supra jam allegaverim; tamen ob vim & efficaciam digna sunt, ut & hic repetantur: deßwegen Ihnen auch billich, wie bey denen *Consultationibus*, *Oneribus*, und Beschwerlichkeiten, also auch solchen *Actibus solemnibus* die Stelle, und, was deme anhanget, gelassen ꝛc. Ex quibus verbis, ut mentem meam eo melius explicem, tale struo argumentum: Si ille, qui particeps est Consultationum & onerum Imperii, præferendus est in Coronatione, aliisque Solemnitatibus ei, qui hoc jure non gaudet; sequitur, Civitates Imperii habere Præcedentiam præ Nobilitate Immediata, A. E. Unusquisque facile videt, Præcedentiam hanc non se fundere in eo, quod quis Status sit in potentia proxima, vel actu primo, sed in eo, quod quis Status sit in actu secundo. Verba enim: wie bey denen *Consultationibus*, *Oneribus* und Beschwärlichkeiten, ꝛc. actualem Curam & Sessionem involvunt. Quod autem Nobiles non sint Status in actu secundo, ex *Instrumento Pac. Westph. art. III. & V.* ubi Statibus Imperii expresse opponuntur, luce clarius elucescit. Et, quid opus fuisset in Capitulationibus, ut toties fere, postquam Statuum mentio facta, expresse adderetur formula: *Comprehensa quoque Nobilitate Immediata*, si pro Statibus haberentur, vid. *Henninges, in meditat. ad art. III. §. 1. lit.* (e.) Patet illud porro ex *Replica Ferdinandi I.* in Comitiis Augustanis ap. *Lehmannum de pace*

Religionis L. I. c. 16. p. 72. ubi expresse dicit, hos Nobiles non esse Status Imperii; Item, ex declaratione Electorum & Statuum Catholicorum in Conventu Compositionis *Francofurti habito 1631.* ubi ita legitur; dieweil die Fränckische Ritterschafft weder ein Stand des Reichs ist, noch in völligen Reichs-*Deputationen*, oder andern *Conventibus Sessionem & Votum* hergebracht, vid. *Vitriarius in Jure Publ L. IV. tit. 1. §. 34.* ubi etiam ad objectiones *Hippolyti*, qui in *Qu. II. n. 123. usque ad n. 134.* Nobiles Immediatos adhuc hodie Status esse, multis fundamentis probare annisus est; solidissime respondet. Sed totam rem conficit ipsa illorum Confessio, quam *1619.* d. 11. Nov. Norimbergæ Correspondentibus Statibus exhibuerunt, ibi: Weil die Reichs-Gefreyte Ritterschafft, als ein sonderbahr, doch der Römisch-Kayserlichen Majestät, und dem Heil. Reich, sowohl als die Reichs-Städte, ohne Mittel zugethane *Corpus* in die Reichs- und Creyß-*Matricul*, auch Dero Anschläge nicht begriffen, und auff die Reichs-*Deputation* und Creyß-*Convent* nicht beschrieben zu werden pflegte ꝛc. Cum igitur propria Confessio, quæ vim habet rei judicatæ, uti *tot. tit. de Confess.* ostendit, adsit; nihil jam addendum puto, sed brevissimis pergo

Ad Privilegia, Dignitates & Regalia Nobilium, quibus Treyßpach non minimum ponderis tribuit. Et negari non potest, Eos multis gaudere privilegiis, quibus Nobiles Mediati seu Landsassii carent. Interim tamen sunt quoque nonnulla jura, quorum Treyßpach *pag. 273.* mentionem facit, quæ a Doctoribus Juris Publici & a Viris haud contemnendæ eruditionis adhuc in dubium vocantur. Imprimis, quod ad Superioritatem Territorialem attinet, non quidem plane ea ipsis denegatur, sed contendunt plurimi Doctores, quod: quamvis Nobiles in territoriis suis & in subditos pleraque jura exerceant, & exercere possint, quæ alii Status in suos subditos; tamen jura ista ipsis non competant vi Superioritatis Territorialis, sed nomine tantum privilegiorum. Ast, non est instituti mei, hanc controversiam meam facere, aut hic excutere; sufficit allegare iterum Clarissimum *Henninges*, qui in *Mantissa sua de Superior. Territor. §. 15.* his verbis utitur. *Cæterum, quin hoc ipsum Jus Superioritatis territorialis Statibus Imperii, stricte ita dictis, quodammodo plenius & perfectius tribuatur, adeoque de illis per excellentiam prædicetur, non dubito. Ejus, quod dico, argumentum est haud leve, quod Instrumento Paces Osnabr. art. VIII. dum liberum Juris Territorialis tam in Ecclesiasticis, quam Politicis, exercitium confirmatur, Statuum unice fiat mentio; cum tamen aliis in rebus, &, ubi Nobilitatis interest, eam comprehendi conditionibus conventis, illius etiam meminisse, non sit infrequens. Vereor etiam, an Civibus Immediatis, qui non sunt Status, majora illa Jura Territorialia, ut est jus belli, jus fœderum ineundorum, jus*

Legationis,

Legationis, jus Legum ferendarum, jus tributa imperandi, jus extruendorum fortalitiorum &c. tribuere fas sit. Sed ponam liberali manu, omnia enumerata jura Nobilibus plenissime competere; quid vero aliud exinde consequitur, quam paritas quædam, haud vero præeminentia, quam Nobilitas cum Civitatibus æqualem habet. Et certe, si ad specialia jura Civitatum descendere velim, ex enumeratione, quam *Knipschild.* aliique tradunt, patebit, Civitates Imperii non solum iisdem, sed adhuc majoribus privilegiis gaudere; id quod prolixius demonstrare in proclivi esset, nisi nimium excresceret hæc dissertatio: itaque illud conflictui amico reservans

Ad *ultimum* denique respondeo, in enumeratione Prærogativarum Nobilium, quæ in *Immunitatibus, in Reverentia, in Præsumtionibus, & in Pœnis temperandis consistunt*, multa merito desiderari, id quod neminem, qui diligenter illa excusserit, latere poterit. Unde, quod de *Tiraquello* non veritus est asserere *Loyseau tract. de Ordin. c. 5. n. 69.* eum, plus quam viginti ridicula & falsa privilegia Nobilibus tribuere, illud quoque de *Hippolyto* dici potest; id quod etiam nuperum in Gallia exemplum demonstrat, quo Comes horrendo rotæ supplicio ob atrocia crimina affectus fuit. Deinde illæ Prærogativæ æque bene Civitatibus quoque competunt; nam & illæ magno honore afficiuntur, nec torquentur, nec ad Triremes damnantur, nec ulla ignominiosa pœna plectuntur. Ut jam nihil nunc de eo dicam, quod multi etiam Cives sint in Civitatibus, qui ob bene merita, & ob studia sua iisdem privilegiis gaudent, quemadmodum illud *Itterus de Honor. s. Grad. Academ. in c. XII. & XIII.* fusius ostendit. Sed, si quoque concederem, Nobiles variis prærogativis gaudere præ aliis, nihil aliud exinde sequeretur, quam Nobiles privilegiis frui, quæ non habent Plebeji, & ceteris paribus præferri ignobilibus: jam vero vel centies dictum, a præferentia Nobilis præ Plebejo, si omnia cætera sunt paria, male argumentum deduci ad Præcedentiam Nobilitatis Immed. præ Civitatibus Imperialibus.

Atque ita tandem excussis, quæ ultro citroque afferri solent, refutatisque Adversariorum rationibus, Civitatum præ Nobilibus eminentiam demonstrasse me puto. Plura fortassis causæ huic inservientia adduci potuisse nullus dubito; at Conflictui Academico hæc sufficere posse, æquus Lector facile judicabit. Neque ego, dum jura hæc vindicare institui, id arrogare mihi volui, ut quicquid limatissimum Ingenium invenire posset, producerem; ipsius argumenti causæque justitia ac evidentia fretus, hoc quicquid est laboris, eo facilius promptiusque in me suscepi, relicturus reliqua Exercitatissimis in publica rerum scientia Viris. Neque id etiam, dum hæc scriberem, intendi, ut Ordinis Equestris, quem maxime alias venerari soleo, & ea, qua decet, reverentia

prosequor, Jura vel Dignitatem lacessere, aut contemnere vellem; sola veritatis ratio, quam post serium examen invenisse mihi videor, Speciminisque Academici edendi obligatio ad hæc scribenda me induxit; unde majorem quoque Lectorum æquitatem mihi exposco, pariterque promitto.

SOLI DEO GLORIA.

XXX.

DISSERTATIO JURIDICA, DE JURE EXIGENDI COLLECTAS AD ELOCATIONEM FILIARUM ILLUSTRIUM, Von Fräulein-Steuer/

PRÆSIDE

CASPARE ZIEGLERO,

JCto, Antecessore, Consil. Elect. Saxonico, nec non Facultatis Juridicæ Ordinario,

habita Witteberga

Anno 1686.

A & Ω

I.

NOn præter rem *Tacitus*, neque quietem gentium, ait, sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi posse *lib. 4. hist. c. 74.* Hinc sine dubio jus enatum est Principibus, ut plebi aliquid oneris in tributis pendendis imponerent. Ut enim sine iis securitas Reipubl. ac defensio expectari nequit: ita multi, dum tributi fumum fugere conati sunt, in servitutis ignem se præcipitarunt, ut est apud *Joh. Matthia*